



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...**

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In Qua Tractatur De Contractu Et Sacramento Matrimonii

**Bosco, Jean a**

**Lovanii, 1678**

Sectio VI. De Matrimonio per procuratorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73432)

Solutur.

Respondeo: tali casu non fore traditionem in solidum, quamvis jam ita sit, juxta illud Apost. 1. Cor. 7. v. 4. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Ubi loquitur de Matrimonio prout de facto est, & secundum primaviam sui institutionem; vel etiam intelligi posset, quod in quantum tradidit corpus suum, intantum non habeat ejus potestatem. Præterea: in illo casu vir tradit in solidum singulis suum corpus, quoad finem primarium, scilicet generationem prolis; quamvis non quoad finem secundarium, scilicet evitacionem incontinentiæ. Porro mulier, etiam non traderet corpus suum in solidum, quoad finem primarium; & ideo magis hoc, quam illud, dissonat rationi naturali, & institutioni Matrimonii, ut propterea Deus nunquam in hoc dispensaverit.

Si rursùm obiciâs; unusquisque tenetur reddere debitum petenti; atqui id non posset fieri in istis casibus, quia possent simul plures petere.

321. Alia obiectio.

Solutio.

Respondeo: non teneri semper reddere, spectato sine primario, sed solum in quantum

necessarium est pro bono prolis; secus quoad finem secundarium; & ita argumentum illud solum probat, ista Matrimonia, præsertim unius mulieris cum pluribus viris, non esse consona ratione naturali per se loquendo; etsi intrinsicè non sint ei contraria, maxime Matrimonium unius viri cum pluribus foeminis, ut jam statim ostensum est. Et hinc, quamvis vir rationabiliter posset velle corpus uxoris in solidum, non statim rationabiliter mulier corpus viri, quia unum corpus viri sufficit ad primarium finem; non sic unum corpus mulieris. Hoc sufficiat impræsentiarum, quæ restant, dicentur in ultima parte hujus operis, ubi de impedimento ligaminis.

Sequitur autem hic agendum de Matrimonio, quod contrahitur per procuratorem cum enim, ut ex jam dictis patet, Matrimonium non solum fit contractus, sed etiam in nova lege Sacramentum propriè dictum. Matrimonium per Procuratorem fore videndum in ratione contractus, inquit aliorum contractuum; adhuc tamen dubitari posset, etiam valeret in ratione Sacramenti. De hoc ergo Matrimonio instituitur

# SECTIO VI.

## DE MATRIMONIO PER PROCURATOREM.

1. Tribus modis potest aliquis contrahere per tertiam personam.

Quis in jure dicitur mandatarius.

L. i. ff. Mandati.

Quid mandatum.

Instit. eod.

2. Mandatum excludit pactum formale de mercede.

**P** Rænotandum, tribus modis posse aliquem cum aliquo contrahere per tertiam personam, nempe tanquam per mandatarium, procuratorem, & gestorem negotiorum; qui termini, licet aliquando confundantur in jure, tamen strictè pro diversis usurpantur. Mandatarius dicitur, qui officium pro altero exhibendum, ab eo formaliter vel virtualiter injunctum, absque pacto formali de mercede suscipit. Colligitur ex leg. 1. ff. Mandati, §. ultimo, sequentis tenoris. *Mandatum nisi gratuitum, nullam est: nam originem ex officio & amicitia trahit; contrarium ergo est officio merces; interveniente enim pecuniâ, res ad locationem & conductionem potius respicit.* Hinc mandatum, in annotatione illius tituli in principio, definitur: *Officium ab eo, qui gratuito suscepit, exhibendum.* Eodem modo loquitur §. ult. Instit. eodem. *In summa sciendum est, mandatum, nisi gratuitum sit, in aliam formam negotii cadere. Nam mercede constituta, incipit locatio & conductione esse.*

Ex quibus patet, quare dixerim: *Absque pacto formali de mercede;* quia si mandatarius cum mandante paciscatur de mercede, dicitur conductus; & ipse dicitur locare operam

suam. Dico: *Si paciscatur;* nam quod mandatarius spe remunerationis suscipit mandatum, non obstat, ut maneat mandatum presè sumptum, ut rectè Molin. Jus. & Jure. disp. 548. n. 2. Etenim quod sic fit, gratis fit, neque propter illud mandatarius aliter obligatus ad completandum obsequium, rogatu ipsius exhibendum ex gratitudine, quæ obligatio non simpliciter obligatio, sed secundum quod. Vide Mol. supra, quia res non est hujusmodi.

Dixi etiam in definitione: *Formaliter vel virtualiter injunctum.* Formaliter quidem est per verba expressè significantia voluntatem efficacem mandantis, ut, *Volo, rogo, mando* &c. l. 1. ff. Mandati: *Obligatio mandati consensu contrahentium consistit. Ideo per nuptiarum quoque, vel per epistolam mandatum suscipi potest. Item si ve rogo, si ve volo, si ve mando, si ve alio quocumque verbo scripserit, mandati actio est.* Ubi Gloss. verb. *Quocumque verbo, inquit: Simili & idoneo, non admonendo solum... Item, non commendando tantum... Item, non tantum exhortando... Item, non tantum persuadendo... Sed oportet quod animo obligandi interveniat, sicut de proxeneta, qui laudare creditur, non se obligare.*

Porro virtualiter imponit mandatum, qui

sciens alium pro le negotio gerere, tacet, arg. l. 4. o. eod. Si pro te, presente & vetante fideiussurum, nec mandati actio nec negotiorum gestorum est. Ergo si pro te presente, & non vetante, fideiussurum, & mandati actio, & negotiorum gestorum est. Hinc l. Si remunerandi, eod. §. 2. Si passus sim aliquem pro me fideiussurum, vel alias intervenire, mandati teneor. Ubi Gloss. verb. Teneor: Quia, inquit, videor ei mandasse. Atque hæc de Mandatario expressè sumpto.

Venio ad Procuratorem, qui est quædam species Mandatarii, & dicitur is, cui aliquid pro altero exequendum, sine pacto de mercede committitur, dato instrumento ab eo, qui constituit Procuratorem. Advertit autem Molina supra disp. 551. n. 2. Hujusmodi Procuratorem interdum ita nomine & loco alterius aliquid agere cum mandato & procuratore ad id speciali, ut non tam ipse sit, qui id agit, quam qui mandatum & procuratorem ad id in particulari ei dedit, qui utitur ipso tanquam instrumento, quo mandans ipse id operatur, ac verè agit.

Atque in hoc eventu ejusmodi Procurator non sibi acquirit actiones, quas cedere debeat mandanti; sed mandans solus est, qui sibi immediatè acquirit actiones, ac totum jus; quin & illi fit traditio, si quæ ibi interveniat; neque ejusmodi Procurator in eo eventu tam habet rationem Mandatarii & Procuratoris ad id agendum, quam internuntii, aut quasi epistolæ, quæ mandans id exequitur. Hæc ille. Et exemplificat in celebratione Matrimonii per Procuratorem, de quo hic tractamus.

Præterea observat idem Auctor n. 5. Procuratorem ad negotia ut minimùm esse debere decem & septem annorum; ad judicia verò viginti quinque annorum; arg. cap. Qui generaliter, §. de Procurat. in 6. §. ultimo: Licet autem quis post decimum septimum annum Procurator ad negotia licitè deputetur: ad judicia tamen, nisi major viginti quinque annis fuerit, deputari nequibit. Itemque Procurator ad negotia potest liberè quemcumque alium ad ea deputare: non sic autem Procurator ad judicia; arg. cap. 1. de Procur. in 6. §. penult. & ult. Licet autem à Procuratore post litem contestatam ab eo possit (cum dominus sit litis effectus) dari alius Procurator: antea tamen non potest, nisi in rem suam sit datus: vel à domino substituendi alium (etiam certè non expressè personè) sibi fuerit concessa potestas. Procurator verò datus ad negotia, potest liberè quandocumque alium deputare.

Sed prima pars hujus observationis non placet Sanchio lib. 3. disp. 41. ubi n. 8. sic ait: In procuratore ad negotia non constat, certam ætatem desiderari; immò verius est, pupillum, modò usu rationis gaudeat, posse eo munere fungi. Probat per leg. Sed et si

quis; 7. ad finem verf. Pupillus, ff. de Instir. actio. ibi: Pupillus autem institor obligat eum, qui eum præposuit institoria actione, quoniam sibi imputare debet, qui eum præposuit. Et leg. sequenti: Nam & plerique pueros, puellasque tabernis præponunt. Et leg. 1. ff. de Exercitor. actio. §. Magistrum navis, verf. Cujus autem. ibi: Sed nec cujus ætatis sit, intererit, sibi imputaturo, qui præposuit. Et reddit optimam differentie rationem Baldus. leg. Exigendi, Cod. de Procur. n. 4. quia judicium est inter contradicentes; contractus autem inter consentientes celebrantur; quare quælibet ætas in Procuratore ad illos constituta, est idonea, dummodò fit capax consensus. Ita Sanchez.

Ad textum autem in contrarium adductum, Respondet cum Franco dict. c. Qui generaliter, §. Licet, n. 1. principalem decisionem ibi esse de ætate Procuratoris ad judicia; nec sumi debere argumentum à contrario sensu, ad probandam ætatem Procuratoris ad negotia, cum contrarium jure decisum sit, ut probavimus; argumentum enim à contrario sensu locum non habet, ubi contrarium decisum in jure: ut cum multis probat Everardus in suis Topicis, loco à contrario sensu, n. 8.

Vel secundò dic; in Procuratore ad judicia, expressè dici, nequire constitui ante 25. annos, quem loquendi modum non servat textus in Procuratore ad negotia: sed dicit, post decimum septimum annum licitè deputari, quasi clarè significans, illum ante dictam ætatem non posse validè constitui; hunc autem posse validè, sed non decenter & honestè. Hactenus Sanchez.

Queris autem à me, quis in jure dicatur negotiorum gestor? Respondeo: qui alterius negotium gerit, absque mandato formaliter vel virtualiter imposto. Ita habetur ff. de Negotiis gestis in annot. super titulum, ubi sic lego: Hic titulus est de voluntariis (id est sine mandato) Procuratoribus, qui se litibus, aut negotiis alienis offerunt.

His præmissis pro clariori intelligentia eorum, quæ hac Sectione tractanda sunt, Dico primò:

CONCLUSIO I.

Matrimonium initum per Procuratorem, vel literas, aut nuntium, valet, ac, Sacramentum est, servatis certis conditionibus.

Supponendum tanquam omninò certum & ab omnibus admissum; olim ante Conc. Tridentinum, Matrimonium initum per Procuratorem, servatis aliquibus conditionibus,

7. Resp. ad so. xsum in contrarium;

8. Quis in jure dicatur negotiorum gestor.

9. Ante Trid. Matr. per Procuratori;

erat validum in ratione contractus, ex cap. fis. de Procur. in 6.

bus, fuisse validum in ratione contractus. Colligitur manifestè ex cap. fin. de Procurat. in 6. cujus verba hic subscribo: *Procurator non aliter censetur idoneus ad Matrimonium contrahendum, quam si ad hoc mandatum habuerit speciale. Et quamvis alius is, qui constituitur ad negotia Procurator, alium dare possit; in hoc tamen casu (propter magnum, quod ex facto tam arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter sit commissum. Sanè si Procurator antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet tam ipse, quam ea cum qua contraxit, revocationem huiusmodi penitus ignorarent) nullius momenti existit: cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequivit.*

Ergo tunc temporis, saltem in ratione contractus, servatis illis conditionibus, Matrimonium contractum per Procuratorem erat validum. Si enim non aliter, id est, nisi servatis illis conditionibus, censetur idoneus; ergo servatis conditionibus illis, ceteri omnino debet idoneus.

Audiamus Gloss. ibi: verb. *Idoneus*, ubi interrogat: *An per Procuratorem possit contrahi Matrimonium?* Et respondet: *De hoc non dubitatur, per can. 32. q. 2. Honorantur. supra de Convers. conjug. Ex parte, 2. Et qui Clerici vel vo. cap. Veniens. Ad idem de Matrim. contract. c. 2. ff. de Spons. Sufficit, & l. ult. & ff. de Rit. nupt. l. Mulierem. Omnes enim contractus, qui consensu contrahuntur, inter absentes contrahuntur, ff. de Contrah. empt. l. 1. §. Est autem. Sed contra sup. de Sponsa duo. cap. 1. ibi: Corde tamen & ore &c. Sed dic. quod factis dicitur ore consentire, qui per Procuratorem consentit, infra de Reg. Juris. Qui per alium.*

IO.  
Probatio ex ratione, etiam post Trident. sic posse contrahi Matrimonium.

Ratio itaque hujus veritatis est; quia omnes contractus qui consensu contrahuntur, inter absentes contrahuntur; sed Matrimonium consensu contrahitur, ut evidens est; ergo Matrimonium inter absentes contrahitur; ergo per Procuratorem, literas, vel nuntium, hi enim sunt tres modi contrahendi inter absentes. Major probatur ex leg. 1. ff. de Contrah. empt. supra à Glossa allegata, ubi sic lego: *Est autem emptio juris gentium, & ideo consensu peragitur, & inter absentes contrahi potest, & per nuntium, & per literas. Quis autem dubitet, etiam Matrimonium esse juris gentium, & præter consensum contrahentium non esse necessariam realem traditionem corporum, sicuti in mutuo requiritur realis traditio rei, quæ mutuatur? Ergo & Matrimonium non minus, quam emptio, contrahi potest inter absentes, & per Procuratorem, & per nuntium, & per literas, sicut ante Tridentinum, ita etiam post Tridentinum.*

II.  
Ratio pro

quia contractus Matrimonii post Tridenti-

num, ut sit validus, debet celebrari coram Parocho & Testibus, ut suo loco diffusius explicabitur, ita ut testificari possint de consensu contrahentium, ad evitanda incongruentia non parva, quæ ex Matrimonio aliter contracto nata sunt provenire. Sed hoc fieri non potest, quando contrahitur Matrimonium inter absentes per Procuratorem, nuntium aut literas; Ergo &c.

Sed hæc ratio nullius pili est; nam clara est falsitas Minoris: quippe Procurator potest coram Parocho & Testibus exprimeret consensum principalis; similiter & nuntius consensum nuntiantis, & litera consensum exhibentis, ut liquidò constat. Cur ergo id idem non erit validum tale Matrimonium inter absentes? Jam enim potest Parochus, & ipsi sunt testes de consensu absentium testificari cum illum intellexerint per Procuratorem qui sustinet personam principalis, autem per nuntium vel literam, ad hoc specialiter destinatis, ut per eos consensum absentium Parocho & testibus innotescat.

Contra, dicit aliquis; exigitur à Trident. præsentia pro forma; illa autem non suppeditur per Procuratorem; ut patet in contractu Minoris, ad quem requiritur præsentia Tutoris, leg. *Obligari*, 9. ff. de Auct. & con. tut. §. *Tutor statim in ipso negotio præsentibus auctor fieri; post tempus vero, aut per epistolam interposita ejus auctoritas nihil operatur.* cernitur in alienatione bonorum Ecclesiæ quam requiritur præsentia Canonici, idèdque per epistolam fieri nequit, ut dicitur plures DD. apud Sanchez lib. 2. disp. 1. n. 19.

Respondet Sanchez ibi n. 21. respondens, cum requiritur præsentia pro forma, non debet esse per Procuratorem; nec, inquit, est simile in Tutore, eligitur enim indultus personæ, & confidunt leges, fore, ut ille in pupilli rebus consulat. Similiter eligitur indultus Canonici, confidens, rebus Ecclesiæ rebus consulturos, & vult congregentur, ut rationes conferant, & citius intelligant, quid facere expediat. Hæc illi.

Respondeo ego: Tridentinum non requirit pro forma præsentiam contrahentium, sed præsentiam Parochi & testium. Patet ex verbis Tridentini: *Qui aliter quam præsentibus Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parochi, vel Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentaverit, eorum nuptus ad sic contrahendum omnino inhabilitatus erit.* Sicut ergo contractus antea poterat celebrari per Procuratorem, nuntium vel literas, quia id non repugnat naturæ contractus, quantum tantum exigitur signum externum consensuum ejus, qui principaliter contrahit; ita & nunc dummodo illud signum exhibeatur in præsentia Parochi & testium. Sic enim non attendo

Conclus. ex  
praxi Eccle-  
sia.

tant contrahere in absentia Parochi & testium, sed in eorum presentia.

15. Cum ergo ex alio jure, puta cap. fin. de Procur. in 6. supra allegato, constat, Matrimonium posse contrahi per Procuratorem; & jura sint concilianda, quantum fieri potest, salva proprietate verborum (quamvis forte magis proprie possent intelligi, si aliud jus corrigeretur) & consensus explicatus per Procuratorem, nuntium aut literas non improprie (quamvis minus proprie) sit consensus absentis; sequitur, quod absens valide possit contrahere Matrimonium coram Parocho & testibus per Procuratorem, nuntium aut epistolam, eo modo, quo contraheret per se ipsum, si esset presentis; juxta Reg. juris 72. de Reg. juris in 6. *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum*, ubi jus contrarium non disponit.

Quod autem verè faciat, videtur colligi ex cap. *Mulieres*, 6. de Sentent. Excom. ibi, *Illi verò, qui non per se ipsos, sed eorum auctoritate vel mandato, alii violenter injiciunt manus in Clericos, ad sedem Apostolicam sunt mittendi: cum is committat verè, cujus auctoritate vel mandato delictum committi probatur.* Ergo & is verè contrahit coram Parocho & Testibus, cujus auctoritate vel mandato Matrimonium contrahi probatur.

16. Si dixeris; tali via non occurritur damnis & incommodis, quæ possunt oriri ex Matrimonio clandestino; nam nequit haberi certitudo de vita mandantis, mittentis, aut scribentis; neque de non revocatione consensus tempore intermedio.

Respondet; satis est, quod sit moralis certitudo, & quod mandanti, mittenti aut scribenti incumbat onus probandi revocationem consensus; neque enim major certitudo habetur, dum presentes contrahunt per se, vel per interpretem, possent enim fictè consentire. Et verò quod Matrimonium istud non sit clandestinum, vel ex eo satis ostenditur, quod approbetur ab Ecclesia in capite fin. supra adducto, cum tamen clandestina Matrimonia semper fuerint ab Ecclesia prohibita, ut docet Tridentinum sess. 24. in decreto de Reforma. Matr. c. 1. his verbis: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa (Matrimonia clandestina) semper detestata est atque prohibuit.* Veluti ergo alii contractus, celebrati per Procuratorem, nuntium aut epistolam in absentia principalium, sufficienter probari possunt, ita ut valeant in foro externo; pari modo etiam Matrimonium; neque tali casu in foro externo poterit aliud Matrimonium iniri, estdè reverà prior consensus fuisset revocatus, nisi illa revocatio in eo foro sufficienter posset probari.

17. Dubitas adhuc, an Conclusio nostra sit vera? Consule praxim Ecclesiæ, quæ admit-

tit talia Matrimonia post Concilium Tridentinum, & de ipsis judicat, sicut de aliis Matrimoniis. Consuetudo autem est optima legum interpres; & sanè error foret intolerabilis, si illa Matrimonia non valerent, saltem in ratione contractus, ex quo sequerentur infinitæ quasi fornicationes, & alia maxima incommoda.

Immo, nisi valerent etiam in ratione Sacramenti, Ecclesia non deberet de illis judicare; nam hic contractus solum extrahitur à judicio Principis sæcularis, quia elevatus ad rationem Sacramenti. Sed neque deberet ea tolerare, cum homines tali via priventur gratiâ Sacramentali, maximè necessaria ad sustinenda opera Matrimonii, quam alioquin susciperent, contrahendo per semetipsos, si scirent hoc esse necessarium.

Affirmat itaque Conclusio, Matrimonium per Procuratorem, nuntium vel literas non solum esse validum in ratione contractus, sed etiam esse verum Sacramentum. Probatur autem; quia, ut non semel hæcenus diximus, Christus non immutavit naturam contractus; sed eam, prout erat ante legem novam, elevavit ad dignitatem Sacramenti in nova lege. Si ergo in nova lege Matrimonium per Procuratorem, nuntium, & literas est verus contractus, etiam erit verum Sacramentum, nisi forte defectu intentionis, de quo supra egimus, & hoc loco non tractamus.

Dices; quamvis Sacramento Pœnitentiæ, quatenus est quoddam judicium, non repugnet effici in absentia; repugnat tamen eò quod est Sacramentum. Ergo similiter repugnabit Matrimonio, ut est Sacramentum.

Respondet 1. in Sacramento Pœnitentiæ constare de voluntate Christi ex ordinatione & praxi Ecclesiæ, de qua suo loco egimus; contrarium autem constat ex eadem praxi in Matrimonio, ut statim diximus.

Aliter respondet Sanchez supra n. 32. Judicium externum potest inter absentes esse eò quod diversi sint accusator, testis, & reus, nec aliqua dispositio in reo petatur: secus autem de interno, ubi reus, testis, & accusator est idem, & desideratur reum dispositum esse, ejusque dispositionem Confessarium intelligere: unde non solum ea parte quâ Sacramentum est, sed etiam eâ quâ judicium est, repugnat in absentia præstari; Matrimonio autem id non repugnat, quatenus contractus est, cujus naturam ratio Sacramenti minimè immutat. Hæc ille.

Sed ego illam repugnantiam non video; nam potest quis se ipsum accusare, & suam dispositionem indicare per Procuratorem, Nuntium aut literas; cur ergo ex natura rei repugnet, quod in absentia absolvatur, etiam in hoc judicio interno? Puto ergo, melius disparitatem peti ex diversa voluntate Christi.

Si

18.  
Alia probatio.

19.  
Objeccio.

Solutio.

20.  
Alia solutio  
ex Sanchez.

15.

16.

17.

21.  
Alia obiectio  
soluitur ex  
Sanchez.

Si rursus aliquis objiciat: quia perceptio & consecratio Sacramenti est actus personalis, ut constat in omnibus aliis Sacramentis. Respondet Sanchez supra: in aliis Sacramentis actionem esse omnino personalem; ita, ut nullo modo per substitutum exerceri possit, secus autem in Matrimonio; quia cæterorum contractuum naturam sequitur: quare actio Sacramentalis in ipso non est omnino personalis, sed tantum in hoc sensu, ut nulla alia persona, præter ipsos contrahentes, verè conficiat, & in se recipiat Sacramentum.

22.  
An homo  
dormiens  
possit recipere  
gratiam,  
& lethaliter  
peccare.

Ex quo bene sequitur: dormientem posse recipere gratiam, & peccare lethaliter ratione consensus in vigilia habiti; ut contingit in eo, qui volens baptizari, baptizatur dormiens, per quem baptismum accipit gratiam, si est debitè dispositus ad eam; peccat autem lethaliter, si in vigilia posuerit obicem gratiæ, prævidens se in somno baptizandum; undè potius in vigilia peccavit lethaliter, ita, ut coram Deo sit reus, tametsi per accidens baptismus in somno non conferatur.

Ergo similiter in casu præsentis, cum ille qui constituit Procuratorem, aut misit nuntium, vel scripsit literas, sit ipse, qui contrahit Matrimonium, & ministrat ac recipit Sacramentum, si tempore illo, quo istud recipit, sit in statu gratiæ, indubiè etiam dormiens recipiet gratiam; si autem pro illo tempore sciens & volens posuerit obicem gratiæ, id est, fuerit in statu peccati mortalis, etiam dormiens peccabit mortaliter, si ita placeat loqui; quia propriè peccavit in vigilia, quando prævidens, tempore somni Procuratorem nomine suo contracturum, noluit se pro isto tempore disponere ad gratiam suscipiendam; quare tametsi Procurator verè illo tempore non contraheret, reverà tamen reus esset coram Deo mortalis sacrilegii, propter internum affectum, quàm vis peccatum externum fuerit per accidens impeditum.

23.  
Contrahens  
per Procura-  
torem debet  
esse in gratia  
pro tempore  
quo contra-  
hit.

Itaque pro toto tempore, quo probabile est, quod Procurator contrahet, tenetur principalis se disponere ad recipiendum effectum Sacramenti, alioquin non disponendo se, peccat mortali sacrilegio; quod nullum est inconveniens, majus quàm quod debeat se disponere pro toto illo tempore, quo per se ipsum contrahit immediatè.

Quid si  
tempus illud  
ignoret, ex  
Soto, &  
Sanchez.

Sorus 4. dist. 27. q. 1. a. 3. vers. Ad 2. respondetur, excusat ab hac culpa mittentem, quando prorsus ignorat, quo tempore Matrimonium celebrandum sit. Verùm (inquit Sanchez supra n. 30.) nec tunc excusatur, quia Sacramenti susceptio obligat ad debitam dispositionem sub culpa lethali, & ita vel tenetur non mittere Procuratorem, vel toto illo tempore dispositus esse, quo probabiliter is contracturus est. Hæc ille.

24.

Si dixeris: supponitur prorsus ignorare

quo tempore Matrimonium celebrandum sit, an hoc die, an isto die, an post tres dies, an post decem dies &c. Molestum autem nuntium esset, si tanto tempore deberet abstinere a peccato mortali.

Respondeo: sibi imputet, qui cum tantâ incertitudine temporis, quo perfici debet contractus, miserit Procuratorem, nuntium aut literas.

Sed hic oritur alia difficultas; nam dum Procurator contrahit jam consensus mittentis transit; immo si dormiat, aut amens sit pro tempore somni, aut amentia est impotibilis; quomodo ergo, interrogat quisquam, fieri potest, ut ipse mittens ministrat Sacramentum, cum Sacramentum sit causa gratiæ, & ad minus requirat intentionem virtutalem faciendi, quod facit Ecclesia?

Respondeo; secundum nostra principia Sacramentum non causat physicè gratiam, sed tantum moraliter; ad hanc autem utilitatem sufficit moralis existentia consensus mittentis in consensu Procuratoris, in nuntio, aut in epistola; & vocari potest hæc existentia virtualis, quatenus valor consensus Procuratoris, sive valor contractus, per ipsum, aut per nuntium, vel epistolam celebratum, totaliter pendet à consensu influentis, mittentis, seu scribentis, non revocato, ut amplius patebit ex dicendis Conclusionibus sequenti.

Objicitur etiam contra hanc Conclusionem: Iddè hostia absens nequit consecrari, quia ponitur in forma pronomen demonstrativum: *Hoc*, quod denotat materiam præteritam; nec absens potest absolvi, quia ponitur in forma pronomen demonstrativum: *Te*, sed in forma Matrimonii ponitur duplex pronomen demonstrativum: *Ego*, &, *Te*, ut constat ex cap. *Licet*, de Sponsa duorum, ubi ponitur hæc forma: *Ego accipio te in meam*; ergo Matrimonium ut est Sacramentum, non potest celebrari inter absentes.

Respondeo negando Consequentiam. Irationem do disparitatis; quod in Eucharestia & Pœnitentia, illa verba formalia, & propriè dicta, sint de necessitate Sacramenti, ut patet ex dictis propriis locis; Matrimonium verò potest per quæcumque verba realia signa contrahi, dummodò consensum de processu explicant, ut similiter patet ex aliis locis.

Porro per Procuratorem, nuntium, aut epistolam potest sufficienter exprimi consensus mittentis de præsentis, v. g. his verbis per Procuratorem: *Ego nomine Petri contraho tecum Matrimonium*; vel, *Nomine Petri te in uxorem accipio*. Si autem fiat per nuntium: *Petrus me misit, ut nuntiem tibi, eum te velle, aut, te accipere in uxorem*. Si per epistolam: *Hic literis significo me te velle, vel, te accipere in uxorem*.

Possit hic aliquis querere, an non oportet

reat addere in epistola Et ego tui consensum in me prestandum ex nunc accepto? Sed huic quaestioni satisfaciam Concl. 3. postquam Concl. 2. explicavero certas condiciones, de quibus fit mentio in fine praesentis Conclusionis, ibi: *Servatis certis conditionibus.* Sit itaque

CONCLUSIO II.

Ut Matrimonium per Procuratorem valeat, debet procedere ex speciali voluntate mandantis vera, nunquam revocata. Debet etiam Procurator per seipsum contrahere.

Quod debeat procedere ex speciali voluntate seu mandato, constat ex cap. fin. de Procur. in 6. in principio praecedentis Conclusionis adducto, ibi: *Si ad hoc mandatum habuerit speciale.* Vocatur autem hic speciale mandatum, quod expressè seu explicite datur ad contrahendum Matrimonium; idque, ut docet Glossa ibi verb. *Speciale*, cum determinatà personà; arg. leg. 34. ff. de Ritu nupt. *Generali mandato querendi mariti filiae familias non fieri nuptias, rationis est.* Itaque personam ejus patri demonstrari, qui Matrimonio confenserit, ut nuptiae contrahantur, necesse est.

Objicitur cap. 4. de Procur. in 6. sequentis tenoris. *Qui ad agendum & defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatum exigant speciale, constituitur Procurator: ex vi generalitatis hujusmodi, ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet. Sed si aliquis, vel aliqui de articulis, speciale mandatum exigentibus, specificati fuissent, adjecta clausula generali, tunc ad non expressos etiam admittitur.*

Respondet d. Glossa cap. fin. *Sed nunquid (interrogat) si habet generale cum quibusdam expressis, clausula subsecuta, ut supra eodem libro & titulo: Qui ad agendum, contrahere poterit? Videtur quod sic per illud caput; sed contrarium credo, ut ibi dixi. Dico enim, quod illa clausula generalis, quae sequitur, specialia expressa similia includit, sed non longè majora: ut est in casu nostro: notabiliter enim tali concedi debet, & hoc voluit haec litera. Ad hoc 12. dist. Nos consuetudinem, supra in aut. de Rescriptis Sedes. C. de Diver. refer. l. 1. ff. de vi. tr. & oleo leg. l. ult. in fine; & ad hoc facit finis hujus capituli, maxime cum requiratur speciale mandatum, & de expressa persona, ut statim dicam: & sic dubitatio procedat.*

*Sed quid dices: nunquid sufficit speciale mandatum ad contrahendum, vel requiritur speciale de certa persona & expressa? Et videtur quod non requiratur expressa persona, ut supra eodem titulo & libro, c. 1. 2. responso. Sed dic contra, per l. ff. de Ritu nupt. Generali. Ad hoc supra*

de Arbis. Innotuit, cum suis concor. & quae nos. 29. q. 1. in summa. Hucusque Gloss.

Itaque cap. *Qui ad agendum*, intelligi debet de casibus, qui expressis similes sunt: v. g. qui habet mandatum ad vendendum, etiam censetur habere mandatum ad recipiendum pretium; jam autem Matrimonium est casus longè major. Sub tali autem generalitate non veniunt graviora, vel majora; ut habetur Clement. *Non potest*, eodem tit. ibi: *Cum sub generalitate tali, graviora non veniant vel majora, quam in ipso procuratorio sint expressa.*

Et quoniam sponsalia dispositio & via sunt ad Matrimonium, docet Sanchez sup. n. 3. etiam ad haec requiri mandatum speciale, leg. 16. ff. de Sponsal. *Oratio Imperatorum Antonini & Commodi, quae quasdam nuptias in personam Senatorum inbibuit, de sponsalibus nihil locuta est: rectè tamen dicitur, etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti, ut suppleatur, quod orationi deest.*

Quod autem etiam sponsalia possint contrahi per Procuratorem, vel internuntium, aut epistolam, expressè statuitur sequenti lege hinc verbis: *In sponsalibus constitutendis parvi refert, per se coram, an per internuntium, vel per epistolam, an per alium hoc factum est, & ferè plerumque, conditiones, interpositis personis expediuntur.*

Interim, cum Matrimonium oppidè gravius sit, & majus quàm sponsalia, ut potè contractus omninò indissolubilis; sponsalia autem ob multas causas dissolubilia. Et aliundè in omnibus non valeat argumentum à Matrimonio ad sponsalia, non obstantè dicta lege: *Oratio*, ut alibi ostendimus; nec Sanchez aliam probationem afferat suae opinionis, & tantum unum Auctorem, scilicet Dominicum dicto capite fin. in principio n. 2. si quis eam negaret, non puto, quod erraret, aut improbabiliter loqueretur.

Cæterum sufficeret etiam ad Matrimonium (ut bene dicit Angelus verb. *Matrimonium*, 2. n. 19.) quàm vis in mandato non exprimeretur persona, si oretenus vel per literas exprimeretur; quia mandatum hoc scripturam non petit; ut generaliter de Procuratore docet Gloss. in Leg. *Maritus*, 2. 1. Cod. de Procur. verb. *Præscripsit*, dicens: *Id est, ante oculos scripseris, vel etiam sine scriptura dixerit.*

Cur autem requiratur expressio personae, est optima ratio (inquit Bas. Pontius lib. 2. cap. 15. num. 3.) quam tradit Bartolus in l. *Filius*, ff. de Donat. quia cum Matrimonium sit vinculum mutui amoris, amor non potest esse inter ignotos omninò, & idè neque consensus. Undè etiam dixit Glossa in cap. *Nec illud*, 30. q. 5. Matrimonium nullo modo inter absentes contrahi posse, nisi se aliquo modo noverint, vel famà, vel alià ratione, cum enim omninò se ignorant, ad invicem consentire non possunt. Hæc ille.

D d d Sub.

Explicatur dist. cap. 4.

31. An etiam ad sponsalia requiratur mandatum speciale, ex Sanchez. L. 16. ff. de Spons.

32. Sufficit, quod persona oretenus exprimitur, ex Angelo.

33. Ratio quare requiratur expressio persone ex Pontio, & Bartolo.

28. Remittitur speciale mandatum. Quod illud sit. L. 34. ff. de Ritu nupt. 29. Objicitur. 30. Objicitur.

Cap. 8.  
30. q. 5.

Subscribo verba illius capit: *Nec illud otiosum, quod cum veniret Rebecca, vidit Isaac ambulans: & cum interrogasset, quis esset, cognito quod ipse esset, cui aueretur uxor, descendit &c.* Ubi Gloss. verb. *Uxor*, inquit: *Fam ergo erat uxor & desponsata; arg. 32. q. 2. §.* Cum ergo; & est argumentum, quod Matrimonium contrahi potest inter absentes, qui nunquam se viderunt, quod verum est, si fama, vel aliquo alio modo se noverunt: & in ignotos ex toto consentire non possumus: sed in eos, qui non sunt penitus ignoti, possumus consentire. Hæc Gloss.

34.  
Rebecca parvam habuit notitiam Isaac.

Revera valde parvam habuit notitiam Rebecæ Isaac, qui non aliter poterat eam novisse, nisi sub nomine filie cognationis patris sui Abraham. Nam nec ipse Abraham aliam habuit notitiam. Nam Gen. 24. v. 4. sic lego: *Sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorem filio meo Isaac.* Ergo confensit Isaac per Procuratorem suum in Rebecam, quam aliter non noverat, nisi sub nomine foemine de cognatione Abraham. Et quid ni similiter potuisset consentire in quamcumque puellam totius Melopotamiæ?

35.  
An talis notitia hodie sufficeret.

Putas autem, quia & illa notitia hodie sufficeret, v. g. si aliquis constitueret Procuratorem, ut nomine suo contraheret cum aliqua filia talis civitatis, aut provincie? Non video quid obftet; nam si aliquo modo persona nota est, & determinata, ita ut si contraheret Procurator cum filia alterius provincie, Matrimonium non valeret.

L. 5. ff. Mandati.

Excederet quippe fines mandati sui, cum tamen mandatum ad unguem servandum sit, l. 5. ff. Mandati. *Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt; nam qui excessit, aliud quid facere videtur...* Itaque si mandavero tibi, ut domum Sejanam centum emeris, tuque Titianam emeris longe majoris pretii, centum tamen aut etiam minoris, non videris implese mandatum. Item si mandavero tibi, ut fundum meum centum venderes, tuque eum nonaginta vendideris, & petam fundum, non obstabit mihi exceptio: nisi & reliquum mihi, quod deest mandato meo, prestes & indemnem me per omnia conserves. Ita hæc lex.

36.  
Mandatum ad unguem servandum est.

Confimiliter ergo in presenti materia; si mandavero tibi, ut contraheres Matrimonium cum filia Antverpiensi, tuque contraheris cum filia Mechliniensi, tamen si pulchrior, virtuosior, & ditior esset, non videris implese mandatum, & idem non valet Matrimonium. Item, si mandavero tibi, ut contraheres constituta certâ dote, si absque dote contraxerit, non videris implese mandatum, & idem Matrimonium non valet.

Ratio fundamentalis est; quia tunc deest consensus mittentis, *Sine quo*, ut dicitur cap. fin. de Procur. in 6. *firmi aatem habere nequi-*

vit. Et ubi quis limites potestatis sibi tradidit, excedit, privatus censendus est, & non Procurator; quia cum potestas sit limitata, in eo, quod quis excedit, potestate caret.

Quid ergo, si mandavero tibi, ut contraheres servatâ formâ Tridentini, ut semper dici solet, nonne, si ommissis denuntiationibus contraxeris, valebit Matrimonium? Videtur enim non valere; quia ablativus ille absolutus importat ibi conditionem, l. *A testamento*, l. 109. ff. de Condit. & demonst. forma autem præscripta in Tridentino sess. 24. cap. 1. de Matr. est, ut præmissis denuntiationibus, per Parocho & testibus contrahatur.

Nihilominus Sanchez supra n. 18. existimat, si ex dispensatione Ordinarii contrahatur, non esse dubium: quia forma Tridentini est, præmissis denuntiationibus, nisi Ordinarius dispensaverit. Idem dicendum, si omittantur, absque dispensatione, licet mandato expressè diceretur: *Do tibi servatam contrahendi præmissis denuntiationibus.* Quia quoties exprimitur in commissione forma juris communis eo modo; quo jure communi inest, non est intentio indugendi novam formam, & conditionem; sed est admonitio quædam, ut servetur forma juris communis. Hæc ille.

Et ratio ulterior est; quia expressio ipsa quod tacitè inest, nihil prorsus operatur, leg. 99. ff. de Condit. & demonst. *Conditiones extrinsecus, non ex testamento veniunt, est, quæ tacitè inesse videantur, non faciunt ta conditionalia.* Et leg. 3. ff. de Legat. 1. *Verba testatoris: Quisquis mihi ex luptatis hæres erit, aut, Si hæres erit Sejus, hæres hæreditatem adierit, subiectum legatum fideicommissum non faciunt conditionalia.* Quæ quia illæ conditiones tacitè inest, ut, licet non exprimerentur, jure tamen intelligi deberent.

Cum ergo sit jure communi expressa forma, *Præmissis denuntiationibus*, cap. fin. de Claudit. despons. & in Trident. sess. 24. cap. 1. de refor. Matr. dum exprimitur mandato ea forma, & eo modo exprimitur, quo tacitè inest, non est conditio & restrictio mandati, sed admonitio, ut dixi, ut servetur dict. cap. finale, & Trident. quare cum in neutro loco præscribantur denuntiationes, tanquam de essentia Matrimonii, illarum omissio non vitabit mandatum, nec Matrimonium.

Confirmatur; quia idem multi viri docti aiunt, abolutionem ab excommunicatione virtute Bullæ impensam, non satisfactâ potest, esse injustam, validam tamen; quia ea est forma jure communi requisita, & jure communi non annullatur abolutio ob omissionem satisfactionis; quod probabilissimum est, inquit Sanchez lib. 3. disp. 33. n. 3. Ergo cum



similiter in nostro casu fit forma, jure communi requisita, & non tanquam substantialis, nō annullabitur actus ob omissionē illius.

Nec obstat lex: A testatore, supra allegata in contrarium; quia intelligenda venit, quando illa forma posita in commissione seu mandato, non est forma juris communis, sed nova: tunc enim importat conditionem; subdo verba legis: A testatore rogatus, ut acceptis centum nummis, restituere hereditatem Titiae, coheredi suae, aditā hereditate decessit. Similiter & Titia antequam daret centum. *Quaestum est: an heres Titiae, offerendo centum fideicommissio, partem hereditatis consequi possit. Respondit: heredem conditioni parere non posse. Claudius: Magno ingenio de jure aperto respondit: cum potest dubitari, an in proposito conditio esset. Quae lex manifestē loquitur non de forma juris communis, sed nova.*

Et deinde dicit Claudius, posse dubitari, an non obstante illo ablativo absoluto: Ut acceptis centum nummis, sit conditio, an verò tantum modus, ut notat Gloss. ibi verbo *Conditio esset*. dicens: Quasi Claudius dicat, verba illa: Ut acceptis centum, in vim modi possum intelligi. Et sic parebit heres, & possunt intelligi in vim conditionis, & ita non parebit heres. In dubio autem, id est, cum est incertum, qualiter illa verba intellexerit testator, Claudius pro conditione intelligit ea. Atque haec satis pro hoc loco, alibi adhuc redibit occasio de eadem re disputandi.

Tantum addo, quod ex Coninck disp. 24. n. 67. docet Averfa q. 3. sect. 5. §. Debit mandatum fieri posse, ut quis ab initio mandatum tribuat Procuratori, ad contrahendum nomine ejus cum quacumque persona, sibi bene visa, & sic valeat talis contractus. Respondet autem hic Auctor ad leg. *Generali*. supra allegatam, eam loqui de mandato generali quaerendi maritum, non autem ex tunc contrahendi.

Quantum ad 2. partem Conclusionis, quae requirit voluntatem mandantis veram, nunquam revocatam; constat ea ex cap. fin. de Procur. in 6. ibi: *Sane si Procurator antequam contraxerit a domino fuerit revocatus, contractum postmodum Matrimonium ab eodem licet tam ipse, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujusmodi penitus ignorarent* nullus momenti existit. Et rationem illico attexit: *Cum illius consensus defecerit, sine quo firmitatem habere nequiverit.*

Idem autem contingit, ut liquidò manifestum est, quando ab initio dominus non habuit veram voluntatem, sed fictam. Nam sicut dominus in propria persona non potest validè contrahere cum voluntate ficta; ita neque per Procuratorem; cum voluntas Procuratoris non valeat, nisi in quantum dependet à voluntate domini sive

in quantum moraliter est voluntas domini. Si ergo dominus nunquam habuit veram voluntatem contrahendi, aut illam quam à principio habuit, revocavit; liquet profectò, nihil fieri, tamen si Procurator physicè loquendo verè intendat contrahere; quia non contrahit nomine suo, sed nomine mandantis seu domini, cujus voluntas, ut supponitur, defecit; neque à Republica civili, aut Ecclesia potest suppleri, ut alibi latius probavimus. Vide Sect. 3. Conclus. 7.

Et hinc disparitas inter Matrimonium, & alios contractus, in quibus Republica, vel Ecclesia potest supplere consensum, & de facto vult supplere; hi enim valent, facta revocatione mandati, nisi revocatio Procuratori innotescat ante celebrationem contractus. Exemplum habemus in Clement. un. de Renunt. ubi sic ait Pontifex: *Cum illuso & variatio in personis Ecclesiasticis maxime sibi vitanda; praesenti constitutione sancimus, ut si quis ad cedendum Pontificali, aut alii cuiuslibet dignitati, vel beneficio, Procuratorem sponte ac liberè instituerit, & ipsum ignorantem postmodum duxerit quomodolibet revocandum, teneat cessio facta per eum, antequam ad ipsum vel illius (in cujus manibus cessio fuerat facienda) notitiam revocatio hujusmodi deducta. Nisi forte per ipsos aut alios malitiosè factum fuerit, quò minus ad eos, vel eorum alterum ante cessionem potuerit revocatio pervenisse.*

Aliud exemplum habemus in jure civili L. 15. ff. Mandati. Si mandassem tibi, ut fundum emeret; postea scripsissem ne emeretur; antequam scias me veruisse, emisisses, mandato tibi obligatus ero; ne damno afficiatur is, qui suscipit mandatum.

Plura similia exempla tam in jure Canonico, quam civili reperies, extra quae, putant Aliqui, non esse procedendum: quia licet fortè in aliis Ecclesia vel Republica posset supplere consensum, non constat tamen eum supplere. Porro deficiente consensu, contractus quicumque necessariò deficit. Unde Pontifex in dicto Cap. fin. de Procur. in 6. non constituit novum jus, sed explicuit juris naturalis rationem; quia scilicet non valet Matrimonium sine consensu. Ergo quicumque actus fuerit, qui secundum suam rationem, consensum verum exigat, ita ut à Republica vel Principe saeculari aut Ecclesiastico, suppleri non possit; aut certè, quamvis possit suppleri, tamen non suppletur jure scripto aut consuetudinario, nullus planè erit mandato revocato, sive innotescat revocatio mandatariorum, sive non, ex defectu consensùs, sine quo firmitatem habere non potest. Vide Pont. lib. 2. cap. 15. §. 1. per totum. Ubi docet, non semper extra casum Matrimonii

43. Disparitas quoad hoc inter Matr. & alios contractus.

Clem. un. de Renun.

L. 15. ff. Mandati.

44. An semper extra casum Matr. necesse sit ut revocatio innotescat Procuratori.

Negat Pontifex.

necessarium esse, ut revocatio innotescat Procuratori, adductis multis casibus, in quibus non valet, quod actum fuit à Procuratore, ignorante revocationem.

45. Sanchez autem supra n. 6. existimat, hoc speciale esse in Matrimonio, contra juris regulam, perentem, Procuratorem constitutum ad negotia, certiore faciendum esse de revocatione, ut ea profit; Clement. un. de Renunt. cap. *Ex parte*, 33. de Rescriptis, l. *Si mandassem*, ff. Mandati, l. 1. §. fin. ff. de Contrah. empr. l. 1. ff. Quod iussu. Et ratio, inquit, disparitatis est; quia in cæteris contractibus potest jus supplere consensum contrahentium, illisque renitentibus dominium transferre; in Matrimonio autem minime potest: hoc autem speciale esse in Matrimonio (quàmvis non desint DD. id negantes, dicentisque, idem contingere in aliis, quæ à libera voluntate pendent) docet Gloss. Clement. un. de Renunt. verb. *Ignorantem*, & verb. *Cedendum*. Ita Sanchez citans alios plures Doctores pro hac sententia.

46. Quæ tamen necessariò limitanda est, nisi in casu particulari contrarium in iure reperitur dispositum. Certum enim est, quòd jus non semper debeat supplere consensum, quàmvis possit. Et satis clarè ostendit Pontius supra, in aliquibus casibus non supplere, tametsi vellet, v.g. in contrahendo Matrimonio spirituali, putà Episcopali dignitate; in contrahenda cognatione spirituali ex officio Patrini; in contrahenda obligatione voti aut juramenti promissorii; quia hæc videntur dependere à libera omninò voluntate, quæ tollitur per revocationem mandati, tametsi revocatio non innotescat Procuratori.

47. Sed hæc controversia non est hujus loci, & idèd nolo diutiùs ei immorari. Quæro autem; quid si mandans, qui primùm fictè consensit, antequam Procurator contrahat, verè consentiat, aut postquam verum consensum revocavit, rursùm consentiat, nonne valebit Matrimonium, postea per Procuratorem contractum?

Existimat Sanchez supra num. 13. dicens: quocumque tempore intermedio dissensus sit, nihil refert, dummodo tempore, quò celebratur Matrimonium, consensus adfit. Et ratio ejus est; quia cum eo tempore conficiatur, tunc desideratur consensus. Idem docet Pontius supra n. 13. nullà ratione adductà.

48. Sed, ut verum fatear, hæc ratio Sanchez solùm probat; quòd tunc debeat adesse consensus, quòd nullus negat: ergo sufficit quòd tunc adfit, negatur Consequentia; sed insuper videtur requiri, quòd ille consensus, qui tunc verè adest, aliquando innotuerit Procuratori. Ita tenet De Scildere in sua Synop-

si de Sacramentis §. 106. ibi: Commisso hæc ex vero mandantis imperio procedere debet, non ficto: neque sufficit fictionem potestè revocari, nisi revocatio fictionis à mandatarii notitiam loco mandati perveniat; aliàs enim voluntas mandantis non induit. Et infra: Sed quid, si post revocationem mandati, mandans iterùm consentiat? Nihil agere videtur: non juvat enim voluntas prima, utpotè revocata; neque secunda, ut quæ non intimatur comparti. Hæc ille.

Et ante ipsum Coninck disp. 24. n. 72. ait: Difficultas est primò; Utrum, si quis fictè dederit suo Procuratori mandatum contrahendi, ut contractus valeat, sufficiat ipsum, antequam hic inceptus, nec in eum consentire, eumque ratum habere. Quidam id affirmant; sed credo contractum omninò dicendum esse. Quia ut contractus valeat, actus Procuratoris debet tanquam ab imperante procedere à libero consentio mandantis, tanquam ejus signum. Nam Procurator habet se tanquam index & interpretatus consensus ipsius mandantis: atqui in illo casu hoc non fieret (nam verus consensus, qui in mandante sequitur ipsum mandatum, nullo modo potest hujus esse causi, aut movere Procuratorem ad contrahendum, ergo eo casu contractus esset nullus.

Confirmatur; quia sicut inter præsentem habet externa locutio, respectu interni consensus: ita inter absentes se habent verè Procuratoris, respectu consensus ipsius mandantis. Sicut enim internum meum consensus per externam locutionem dirigo ad præsentem, illumque huic significo: ita consensus per Procuratorem dirigo ad absentem, quæque ei significo: atqui si primò fictè dederit alicui præsentem, me in eam consentire, contractus esset nullus, etsi antequam ipsum locutionem exprimeret, verè in eam consentirem; quia externa traditio nullo modo est signum veri interni consensus: non primò, quia hic esset fictus: non etiam secundò, quia cum ab hoc non procederet, non posset esse signum: ergo idem dicendum est de eo, qui fictè mandasset per Procuratorem contrahi Matrimonium; quia hic sine novo mandato, nullo modo posset suum consensus parti per Procuratorem significare. Nam dum mandavit, nullus erat consensus, & verè Procuratoris nullo modo posset esse signum consensus posterius habitum.

Quare ut contractus sit validus, talis debet secundò, cum jam verè consentit, Procuratori mandare, ut contrahat; quòd sufficienter facit dicendo, ut causam suam diligenter agat. Quòd si non fiat, Matrimonium contractè quidem contrahetur, confirmabitur tamen statim, atque mandans externo aliquo signo

Sponsæ ostendit, se eam habere ut suam, eam tanquam uxorem in domum traducendo, aut aliâ ratione maritali modo & affectu eam tractando. Hucusque Coninck. Quem in hac parte secutus est De Scildere; quamquam in alia parte ab eo dissentiat.

51. Siquidem Coninck ibidem n. 73. scribit in hæc verba. Quod si verò is, qui serò mandasset contrahi, mutata voluntate secretò mandatum revocasset, sufficeret id iterum secretò approbare ante contractum initum; quia prior consensus per revocationem extinctus, per approbationem iterum reviviscit, ac si non fuisset revocatus. Hæc ille.

Sed oppositam sententiam docet De Scildere supra, & probat eam, ut audivimus, quia prima voluntas fuit revocata, & secunda non intimatur comparti. Dicit quidem Coninck, primam voluntatem revocatam reviviscere, sed illam reviviscientiam non probat. Porrò non reviviscere, videtur ex eo probari; quia oportet mandantem, interius ita de novo consentire, ac si nunquam aliquis consensus præcessisset.

52. Consent. quòd meritum meum, mortificatum per peccatum mortale, rectè diceretur reviviscere, si de novo deberem elicere eundem actum meritorium, ut acciperem idem præmium gratiæ & gloriæ, quod acceperam, si prius meritum non fuisset mortificatum? Videtur potius dicendum, novum produci meritum, quandoquidem ex priori merito nullum omninò præmium accipiam.

Cùm ergo in casu præsentì oporteat mandantem novum omninò consensum internū elicere; neque ipse aliquem effectum accipiat ex priori consensu revocato, non videtur rectè dici posse, primam voluntatem revocatam reviviscere; sed sicut per revocationem fuit omninò extincta & mortua; ita semper manere extinctam & mortuam; atque adeò ex vi illius primæ voluntatis Procuratorem nihil posse validè agere.

Sed neque ex vi secundæ voluntatis, quæ, ut supponitur, signo externo non fuit ei declarata, quod tamen necessarium prorsus est, ut ex ea aliquid validè operetur; nam actus Procuratoris constituit in genere moris unum numero actum cum voluntate mandantis, sicut externa donatio elemosinæ, iussu domini facta per famulum, constituit in genere moris unum actum cum internâ voluntate domini, ad hoc autem requiritur, ut famulus noverit voluntatem domini.

54. Si dixeris: in casu proposito Procurator novit voluntatem domini. Respondeo: voluntatem revocatam, concedo; & idè cum hac facit unum numero actum, & non cum illa, quam de facto habet mandans, quæque necessaria est ad validum contractum.

Nonne qui per se ipsum fictè consensisset

in aliquam personam, deberet ad revalidandum Matrimonium, sic contractum, de novo consentire, & eum consensum signo aliquo externo alteri declarare? Ita docet Coninck supra n. 94. quia, inquit, prior consensus externus nullo modo potest esse signum consensu secuturi, aut cum eo unum actum moralem componere, quod tamen necessarium est ad valorem contractus.

Ergo consimiliter, qui per se ipsum verè consensisset in aliquam personam, & postea, antequam ipsa consentiat, revocat interius suum consensum, deberet ad revalidandum Matrimonium, sic contractum, de novo elicere verum consensum, & eum signo aliquo externo sponse declarare; quia prior ille consensus externus, qui aliquo tempore fuit factus, nullo modo potest esse signum interni consensu secuturi, aut cum eo unum actum moralem componere, quod tamen necessarium est ad valorem contractus. Ergo neque consensus externus mandantis revocatus, potest ullo modo esse signum interni consensu secuturi, aut cum eo unum actum moralem componere, quod tamen necessarium est, ut Procurator validè contrahat nomine mandantis, ut patet ex dictis. Hæc maturè considerentur.

55. Perinde autem est, si verbis, si aliis signis consensus revocetur; immo pro foro interno sufficit mera interna revocatio. Ratio est; quia deficiente vel solo consensu interno, non valet Matrimonium in foro interno, etiam secundum illos, qui putant alios contractus valere. Porrò in foro externo incumbit revocanti legitima probatio. Et sicut in illo foro non tantum per verba significatur consensus, sed etiam per alia signa; sic etiam non solum per verba, sed etiam per alia signa revocatur consensus.

56. Et sufficit tacita revocatio, ut notat Sanchez supra n. 10. cum aliis, quos citat. Unde satis est facto ipso contrario revocare; hæc enim est voluntas tacita. Quia voluntas non tantum verbis, sed etiam factis demonstratur; arg. l. 5. ff. Ratam rem haberi &c. Non tantum verbis ratum haberi posse, tam rem sed etiam actu, respondit Soevola lib. 5. Responsorum. Immo magis factis, quam verbis ostenditur; l. Si tamen, 48. ff. de Edilicio edict. §. 3. Et, qui servum vinctum vendiderit, Edilicium edictum remitti, æquum est; multò eto, enim amplius est, id facere, quam pronuntiare, in vinculis fuisse.

57. Et verò sufficere hic, facto revocare, constat ex l. fin. ff. de Divortii, ibi: Illud relictis, si me placuit, qualiquali voluntate intelligi possit, si patris animum habere desisse quasi in uxorem, finiri legis huius beneficium. Et infra: Ubi cumque igitur vel tenuis intellectus videri potest nolentis nuptiam; dicendum est, iam incipere liber-

re cum alio esse connubium. Proinde si patronus sibi desponderit aliam, vel desinaverit, vel Matrimonium alterius appetierit, credendus est nolle hanc nuptiam, & si concubinam sibi adhibuerit, idem erit probandum. Ubi Gloss. verb. Destinaverit. Id est, proposuerit aliam habere in sponsam. Addit Odofredus ibi: eo ipso tacite patronum declarare, se nolle libertam.

Odofredus.

58. Tale factum est mandatum contrahendi cum alia, ex Covarr. & Sanchez.

L. 56. ff. de Procur.

L. 37. ff. de Procur.

Cap. penult. eod.

59. Item ipse contrahens Matr. cum alia.

60. Quid si mandans jurasset, se non revocaturum mandatum.

61. Juramentum per se inducit obligationem religionis.

Unde Covarr. tom. 1. de Matr. part. 2. cap. 4. n. 14. docet, prius mandatum revocari, dato secundo mandato ad contrahendum cum alia. Rationem assignat Sanchez supra ex Ferreto conf. 281. n. 12. non enim verisimile est, tractantem Matrimonium cum aliqua, in priori voluntate contrahendi cum alia persistere; quia cum consequens sine antecedente esse nequeat, qui vult consequens, necessarium videtur velle antecedens; arg. leg. 56. ff. de Procur. Ad rem mobilem petendam datus Procurator, ad exhibendum recte agit.

Cum ergo ad contrahendum cum secunda, necessarium sit à voluntate prioris Matrimonii recedere, dato mandato ad contrahendum cum secunda, revocatur primum; arg. leg. Si quis cum procuratorio, ff. de Procur. §. fin. Julianus ait, eum, qui dedit diversis temporibus Procuratores duos; posteriorem dando, priorem prohibuisse videri. Et cap. penult. eodem tit. ibi: Quod fieri nequivisset in Procuratoribus diversis temporibus constitutis: quoniam dato posteriori, prioris esset procuratio revocata.

Idem dicendum, inquit, Covarr. supra, si ante contractum Matrimonium à Procuratore, is, qui mandatum dederat, cum alia Matrimonium contraxerit, etiam ignorante Procuratore. Ratio patet ex jam dictis, & amplius probatur; quia tali casu Matrimonium contractum à Procuratore, nullatenus potest subsistere, ob impedimentum ligaminis, eodem modo, quo non posset subsistere, tametsi mandans per se ipsum contraheret.

Sed quid si mandans jurasset, se non revocaturum mandatum? Respondeo: equidem valet revocatio. Ita docet Gloss. in. c. fin. de Procu in 6. verb. Revocatus, ubi sic ait: Vel vetitus, ne contraheret. Quid si juraverat dominus non revocare vel penitere? Idem, licet perjurus sit, & de eo debeat sibi penitentia imponi. de Spons. Sicut. & cap. Si inter, in fine. Desuit enim consensus, & sic idem juris, cum eadem sit ratio.

Veluti si quis jurasset puellæ, quod eam duceret in uxorem, si quando exterius ducit, interiùs fingat consensum, id est, interiùs non consentiat, non valet Matrimonium; esto non solum ex Religione, sed etiam ex stricta Justitia teneretur consentire.

Interim juramentum per se loquendo tantum inducit obligationem religionis. Et illam semper inducit, quando non est contra bonos mores, id est, quoties non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in

alterius præjudicium; arg. cap. 2. de Pænit. in 6 sequentis tenoris: Quamvis pactum patris factum à filia, dum nupti tradebatur, ut dicitur contenta, nullum ad bona paterna regressum haberet, improbet lex civilis: si tamen juramentum, non vi nec dolo præstito, firmatum fuerit, ad eadem omninò servari debet: cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.

Cum ergo, per se loquendo, juramentum de non revocando mandato, neque vergat in æternæ salutis dispendium, nec redundet in alterius præjudicium, tametsi, seculo juramento, mandans liberè posset mandatum suum revocare; equidem si juraverit non revocare, revocando, sine justa causa, perjuratus erit, ut dicit Glossa supra quam sequitur Sanchez supra n. 8. Sicuti perjurus foret, qui jurasset non revocare suum testamentum, si absque justa causa revocet, quamvis aliquando revocatio valeat.

Restat ultima pars Conclusionis, scilicet: Debet etiam Procurator per seipsum contrahere, ut expressè habetur cap. fin. de Procur. in 1. ibi: Et quamvis alias is, qui constituitur ad negotia Procurator, alium dare possit: in hoc tamen casu (propter magnum, quod factum arduo posset periculum imminere) non poterit deputare alium, nisi hoc eidem specialiter commissum. Ubi, ut vides, etiam redditur ratio: quia Matrimonium est res valde utilis, utpote contractus indissolubilis, summoque, & periculosus propter diversas humanarum complexiones, in quibus dignitas non parva industria necessaria est; neque aliquando contingat, ut inter conjugum propter nimiam diversitatem complexionum continua quasi oriatur dissensio, ex qua non provenire innumera quasi peccata, nisi Pontifex voluit, ut Procurator per seipsum contraheret, nisi aliter specialiter ei commissum. Eligitur ergo in hoc Procuretores industria personarum, ut ait Sanchez supra n. 5.

Sed contra videtur facere cap. 1. de Offic. & potest. deleg. in 6. Is, cui ab apostolica sede committitur certa personæ provisione beneficio, in certa ecclesia, diocesi vel provincia facienda, potest alii committere licite etiam. Sed si non expressè certà personà committatur, sed dem, ut alicui personæ idoneæ de certa ecclesia vel beneficio debeat providere (quia circa electionem personam ejus industria tunc videtur esse provisionem sibi commissam alteri demandare non potest: nisi forma commissionis habeat, ut per se vel per alium id valeat expedire. Sed cum Matrimonium per Procuratorem contrahitur, datur speciale mandatum de certa personâ, ergo non videtur requiri industria personarum, atque adeò Procurator poterit licite alios ceteras suas committere.

13  
Sac. II

Communis tamen DD. solutio est (inquit Pontius supra n. 5.) illud dispositum esse in Matrimonio spirituali, hoc in carnali. Nam ad illud contrahendum, multa credimus potuisse dici Procuratori, quæ in mandato exprimi non oportebat, quibus deficientibus noller contrahere. Adde etiam; mandatum in contractu Matrimoniali dari ob familiaritatem, quæ intervenit, vel ut majori cum honore fiat; unde videtur semper eligi personæ industria. Hæc ille, cum aliis, quos citat.

Nec video, quid aliud possit responderi; sed video, quid obijci possit ex Sanchio lib. 3. disp. 41. n. 8. ubi volens probare, in Procuratore ad Matrimonium non requiri certam ætatem, sic ait: Est ad alia negotia desideraretur in Procuratore certa ætas; secus esset dicendum in Procuratore ad Matrimonium: quia nulla prorsus ejus industria desideratur, sed tantum explicat consensum absentis. Hæc ille. Ecce hic nulla desideratur industria, ibi autem requiritur industria, juxta eundem Auctorem. Quis nobis nodum istum dissolvat? Expectans expectabo eam dissolutionem a doctioribus. Interim propono hanc Conclusionem.

CONCLUSIO III.

Recipitur Sacramentum, quando contractus perficitur; ejusque minister est dominus mandans, non mandatarius.

Prima pars hujus Conclusionis, scilicet, quod recipiatur Sacramentum, quando contractus perficitur, vel ex eo latè probatur; quod Sacramentum Matrimonii essentialiter sit contractus; contractus autem non est, quando datur mandatum contrahendi; sed quando ex mandato Procurator perficit contractum, per mandatum inceptum; tunc autem perficit, quando consensum domini significat sponsæ, & ipsa suum consensum significat Procuratori; siquidem contractus essentialiter est pactum: hoc autem plurimum in idem placitum consensus. Unde causa efficiens Matrimonii à Florent. in Decret. Eug. ponitur, mutuus consensus, ad quem requiritur, non solum ut ab utraque parte sit consensus præstitus, sed etiam acceptatus; jam autem quando datur mandatum contrahendi, nondum intimatus est consensus comparti, multò minus acceptatus; nec consensus compartis præstitus, aut acceptatus.

Sicuti ergo non recipitur Sacramentum, quando duo per se ipsos contrahunt, nisi consensus ab utraque parte sit præstitus & acceptatus; sic itidem non recipitur Sacramentum,

quando duo contrahunt per Procuratorem, aut unus per Procuratorem, alter per se ipsum, quousque uterque consensus sit præstitus, & acceptatus.

Et eadem est ratio, quando contrahitur per nuntium aut epistolam. Unde non requiritur status gratiæ in contrahentibus, quando constituitur Procurator, aut mittitur nuntius, vel scribitur aut mittitur epistola, sed quando perficitur contractus, id est, quando mutui consensus præstantur & acceptantur; tunc enim primò ministratur, & recipitur Sacramentum.

Sed nunquid idè Procurator minister, quia per ipsum præstat & acceptatur consensus? Respondeo & interrogo; nunquid idè nuntius aut epistola minister, quia per eum, vel per eam præstat & acceptatur consensus? Nemo id hæcenus dixit, nec ego dicam. Quis ergo? Mandans, mittens nuntium, aut scribens epistolam, ipse est minister Sacramenti, ut habet altera pars Conclusionis; quia ipse est minister contractus, utpote in quo recipitur obligatio Matrimonialis, & non in Procuratore, ut nimis manifestum est; ergo & ipse minister Sacramenti, & non Procurator; quia ministri contractus, si ve ipsi contrahentes sunt ministri hujus Sacramenti, ut latissimè probavimus Sect. 4. Concl. 4.

Nec contrarium docuit Scotus (quidquid dicat Pontius lib. 1. cap. 10. n. 5.) 4. dist. 26. quæst. un. n. 15. ibi: De ministro est aliud dubium; quia ut plurimum ipsi met contrahentes ministrant sibi ipsis hoc Sacramentum, vel mutuo, vel uterque sibi. Sed nec hoc requiritur necessario, si in omni contractu est Sacramentum; quia aliquando patres contrahunt pro filiis vel filiabus presentibus, eis non exprimentibus signa propria. Si ergo ibi est Sacramentum, oportet dicere, quod minister hujus Sacramenti potest esse indifferenter, quicumque potest esse minister in contractu Matrimonii. Hæc ille.

Ubi in primis videtur dubitare, an in contractu parentum pro filiis vel filiabus presentibus, sit verum Sacramentum, & per consequens in contractu per Procuratorem. Secundò; videtur dicere, ipsos parentes esse ministros, & per consequens Procuratores.

Respondeo: Scotus tantum vult dicere, non semper contrahentes esse immediatos ministros; sed aliquando vel mutuo, vel uterque sibi ministrare per alium; non tanquam per ministrum, sed tanquam per instrumentum ministri.

Sed audiamus, quid de hac controversia sentiat Sanchez supra n. 28. Quando, inquit, Matrimonium fit per Procuratorem, nec Procurator est minister, nec in ipso recipitur Sacramentum, nec verba ipsius sunt materia & forma Sacramenti: sed ipsi principales con-

68. Procurator non est minister Sacramenti, sed mandans.

69. Scotus non dacet oppositum.

70. Explicatur mens Scoti.

71. Doctrina Sanchez de hac controversia.

trahentes sunt ministri, & recipiunt in se Sacramentum, & expressiones consensuum ipsorum, quatenus innotescunt per Procuratores sunt materia & forma; Procurator autem est conditio sine qua non.

Probatur; hoc est univocè Matrimonium cum eo, quod per propriam personam contrahitur; non enim est duplex Matrimonii Sacramentum: ergo eandem materiam, formam & ministrum habet. Secundò; quia ubi sunt materia & forma recipitur Sacramentum; cum ergo Matrimonium recipiatur in principalibus contrahentibus, in ipsis erunt materia & forma. Hactenus Sanchez.

72.  
Displicet  
Pontio.

Sed hæc doctrina displicet Pontio supra n. 6. nequit enim intelligi (inquit ille) verba ipsorum contrahentium, quatenus innotescunt per Procuratorem, esse materiam & formam, quin ipsa Procuratoris verba includantur etiam in materia & forma; sicut consensus expressus per verba ita est materia aut forma, ut etiam ipsa verba includantur.

Quare potius dicendum; verba Procuratoris vel signa posse accipi, & ut relata ad ipsum Procuratorem, quia iis exprimere velit suum consensum; & hæc ratione nihil sunt materiæ vel formæ: vel accipiuntur, ut relata ad mandantem, & ita pertinent, juxta nostram sententiam, ad formam. Nam verba mandantis non possunt esse completa forma, quatenus suo Procuratori exprimunt consensum. Unde verba Procuratoris, quæ nomine mandantis exprimit, non secus se habent, quam si ab ipso mandante proferrentur: ob id tamen non dicitur minister, sed quasi instrumentum ministri. Hæc ille.

73.  
Sufficit ad  
hoc ut con-  
sensus sit  
forma, ut  
aliquando  
fuerit & ad-  
huc virtua-  
liter sit.

Mihi autem magis placet modus loquendi Sanchii; sicut enim sufficit ad hoc, ut consensus internus sit forma, quòd aliquando fuerit, licet jam non actu, sed virtute tantum existat; sic etiam videtur sufficere ad hoc, ut verba mandantis, aut aliud externum signum sit forma, quòd aliquando fuerit, quamvis jam actu non existat, sed tantum virtute, dummodo per Procuratorem, nuntium, aut epistolam apud partem hinc & nunc innotescat, illud fuisse; ita ut verba Procuratoris, aut nuntii, vel epistolæ solum sint applicatio signi externi mandantis, aut nuntiantis, vel scribentis, ad notitiam compartis.

74.  
Probatur a  
Sanchio.

Veluti dum legislator per interpretem, vel ministrum alicui significat, hoc vel illud esse faciendum, id quod obligat, non est vox interpretis aut ministri, sed signum externum legislatoris, quod ipsi significatur per interpretem, aut ministrum, tanquam per conditionem sine qua non. Ergo similiter in casu proposito, verba Procuratoris aut nuntii tantum sunt conditio aliqua, sine qua

non potest comparti innotescere consensus externus mandantis, aut mittentis.

Enimvero non dicitur consensus aliquis externus, quia comparat v. g. eum cognoscitur, sed tunc dicitur externus, quando revera exterius cognoscibilis est, quamvis à nullo cognoscatur actu: actualis autem illa cognitio compartis solum necessaria est, ut possit talis consensus acceptari; ad eoque ut possint duo consensus externi, unus mandantis, pariter præstitus, & alter compartis, adhuc præstitus, in simul convenire, & sic constituere formam hujus contractus & Sacramenti.

Interim quantum ad praxim, parum refert, quomodo loquaris; nam ex utraque sententia eadem poteris inferre. In primo Procuratorem non necessario debere esse in gratia cum contrahit; siquidem neque ipsi recipit Sacramentum, neque est minister illius.

Secundò; diversitatem sexus nullius momenti in Procuratore, cum sit tantum instrumentum ministrans verba, quibus Matrimonium contrahitur. Unde mulier potest esse Procurator viri, & vir Procurator mulieris. Tertiò; si bene sequitur ex sententia Pontii, valitimum Matrimonium, etiam si Procurator esset amens, si alias sufficiens foret, ad hoc ut mandantis exprimeret consensum, sicut potest epistolà declarari etiam id ipsum videtur bene sequi ex sententia Sanchez. An autem bene ex sententia Pontii sequatur, alia questio est.

Ego, ut verum fatear, non video, quomodo illud consequens possit sublevari: verum est, quod uterque Auctor dicit (suprà vidimus) si, inquam, exigitur industria Procuratoris; quæ enim industria peccari potest ab homine amente, etiam dormiente, estò explicet consensum mandantis, sicut phitracus posset explicare, si mandante fuisset edoctus?

Aliud est, quando epistolà exprimitur consensus; quia certum est, ibi non exigi aliquam industriam personæ, sed tantum traditionem literarum. Et idem videtur dicendum de nuntio strictè dicto, qui non habet rationem mandatarii vel Procuratoris, sed est merum instrumentum & organum, per quod dominus proferat verba, eo modo quo proferat per epistolam; cum hac sola differentia, quòd nuntius sit instrumentum vivum & animatum, ut sic loquar; epistolà autem instrumentum mortuum & inanimatum.

Unde talis nuntius comparari posset phitraci, qui edoctus à domino, eadem verba proferret; & idcò in tali nuntio nulla requiritur industria, neque concipit verba in propria persona, sed in persona mittentis, dicens: *Petrus me misit, ut nuntium tibi, cum te*

velle, aut, te accipere in uxorem Quando vero fit per Procuratorem, habentem plenipotentiam, sufficit & requiritur, ut Procurator ipse nomine Principalis, commissione ab ipso accepta, expresse pro illo consentiat; & hunc ipsum consensum exterius exprimat; quia Principalis illi commisit integrum contractum, tam quoad consensum, quam quoad expressionem illius. Unde contractus Matrimonii his aut similibus verbis celebrari debet: *Ego nomine Petri contraheo recum Marimoniam; vel, Nominis Petri te in uxorem illius accipio.* Ita Dicastillo disp. 2. num 146.

78. Et Sanchez supra n.7. sic ait: Nuntius & epistola est tantum merum instrumentum & organum, per quod dominus profert verba, & ita concipit verba in persona mittentis. Unde consensu domini deficiente, tempore, quo profert verba, nil operatur epistola aut nuntius, quamvis revocationis ignarus sit: cum autem aliquis Procuratorem constituit, facto illius voluit obligari; unde necesse est eum, per quem consensus præstatur, revocationis consensum esse. Hæc ille.

Pontius. At vero Pontius, quamvis admittat discrimen istud inter Procuratorem & nuntium, quod revocatio Procuratoris, in multis casibus necesse est innotescat Procuratori, ut vim & efficaciam habeat; at revocatio nuntii & epistolæ nequaquam; fundamentum tamen illud non probat, cum, inquit, tam nuntius; quam Procurator sint instrumenta contrahentis, & agant alieno nomine. Unde rectè Card. in Clement. un. de Renunt. opposit. 5. dixit, inter Procuratorem; & nuntium, nullam in hoc assignari posse diverfitatis rationem. Ita Basil. lib. 2. c. 15. n. 37.

79. Aliud fundamentum, ibidem à Sanchio positum, erat lex 4. ff. de Manumissis vind. Si pater filio promiserit, servum manumittere, & interim decesserit intestatus: deinde filius, ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit: libertas servo favore libertatis contingit, cum non appareat mutata esse domini voluntas. Sin autem, ignorante filio, vetuisset pater per nuntium, & antequam filius censor fieret, servum manumisset, liber non fit.

80. Responder Pontius: eam legem sibi non sufficere probare eam sententiam; tum, quia non constat ibi tantum esse nuntium filium: tum etiam; quia quamvis nuntius esset, nulla inter illum, & Procuratorem discriminis ratio est: tum etiam; quia quamvis pater & filius una persona censeantur, non tamen in omnibus: tum etiam; quia quamvis filii non intersit, adhuc ea ratio non est sufficiens: cum ad mandati revocationem parum referat, quod intersit mandatario, vel non. Tum denique; quia quid

conjecturis egemus, ubi planè I. C. rationem reddit, quare libertas post revocationem, etiam ignoratam, data, nulla sit; quia scilicet mutata parentis voluntate, jam non dicitur volente domino manumitti. Hæc sunt verba textus: *Nam ut filio manumittente servus ad libertatem perveniat, durare oportet patris voluntatem: nam si mutata fuerit, non erit verum, volente patre filium manumisisse.*

Non assignat (prosequitur Basil.) I. C. rationem; quia nuntius, aut quia eadem persona, aut quia nihil intererat mandatarii; sed quia voluntas domini cessaverat, quam voluit jus requiri ad manumissionem ex vindicta: sicut è contrario definit, valere manumissionem, factam à filio, ex permissione patris, mortuo patre, quamvis cum manumisset, mortem patris ignoraret; quia per mortem in eadem voluntate perseverasse intelligitur, cum intellectus decesserit.

Quare eà solum ratione mihi probatur prædicta sententia; quia cum jure tantum positivo inducta sit ea necessitas intimationis, quando revocatur mandatum, ex eo quod in nonnullis casibus decidat jus, necessarium esse intimari Procuratori revocationem mandati, non rectè extenditur, ut idem dicamus etiam requiri in revocatione epistolæ vel nuntii. Hucusque Pontius.

81. Sed si nulla est distinctio in jure inter nuntium & Procuratorem, cur potius jus id requiritur in Procuratore, quam in nuntio? Respondet Pontius; ne sæpè illutoria fiant judicia, & illudatur Ecclesiæ Prælati, ut haberetur in Clement. un. de Renunt. in principio: *Cum illatio & variatio in personis Ecclesiasticis maxime sint vitandæ &c.*

Planè vitandæ sunt; sed nunquid amplius vitabuntur, si jus idem requisiverit in nuntio, quod in Procuratore? Clarum est, quod sic. Cur ergo non dicimus, idem esse dispositum in nuntio, quod in Procuratore, si nullum est discrimen, ut vult Pontius, inter nuntium & Procuratorem?

82. Sanè discrimen inveniunt Aliqui apud Gloss. in d. Clement. verb. Teneat, ibi: *Dicunt alii, quod aut mandatarius intervenit in nudus minister, aut ut Procurator. Primo casu revocatio sine certificatione impedit actum gerendum, & sic loquitur lex illa: Si pater, ubi filius erat minister patris, quod probant: quia manumissus, non est ipse, sed patris libertus, ff. de Manumis. l. Nepos, ff. de Jure pa. Filius. Et sic loquitur l. prædic. Si poenituit, & prædic. Decret. ult. de Procur.*

83. Secundo casu, cum Procurator verba contrahens concipiat in suam personam, ff. de Const. pecu. Eum qui, §. Sed si auctori, distinguunt; si actus gerendus est talis, ad cuius esse requiritur voluntas domini: tunc, ut non valeat actus, suffi-

Eee

81. Probatio Pontij.

82. Expenditur.

83. Discrimen inter nuntium & Procuratorem.

sufficit revocatio sine certioratione: exemplum in translatione domini rei meae ff. de Reg. juris. Id quod nostrum, sic loquitur l. Eius qui §. Quas verò, ff. de Dona l. 2. §. Sed si quis donaturus. Fallit favore liberationis, ff. de Sol. Cum quis, §. 1: & l. Qui hominem, §. 1. Si Titium. Si verò ad esse contractus non requiritur consensus domini, ut si mandavit librum vel equum emi, revocatio sine certioratione non impedit illum actum, ut l. Si mandassem. Quid quid dicatur in aliis casibus, quoad casum istum revocatio, sine certioratione Procuratoris, vel superioris, non impedit cessionem, licet mandatarum non interfit, & tractetur de perdendo dominio Ratio constitutionis ponitur in prin. & concor. not. ff. de Contrahenda empt. l. 1. in fin. Uti que adhuc Glossa. Quæ utique videtur distinguere inter Procuratorem & nuntium.

84.  
Quod vo-  
rum existi-  
mat Auctor  
in aliis con-  
tractibus.  
Covar.

Et credo ego, id verum esse in aliis contractibus; quidquid sit de contractu Matrimonii, in quo, secundum Covar. to. 1. de Matr. part. 2. cap. 4. n. 11. Procurator potius debet censi nuntius, ibi: Nec refert, quibus verbis hunc contractum Procurator concipiat: an ipse contrahat absentis nomine, an pronuntiet verba in persona absentis. Nempe si dicat: *Contraho tecum Matrimonium nomine Titii*: an dicat: *Titius se uxorem accipit me internuntius*; utcumque enim contrahatur, Matrimonium est. Tamen rectius contrahatur secundo modo, quam primo. Hic enim Procurator nuntius censi potius debet; cum hic actus non cadat in Procuratorem. Hæc ille.

85.  
Ratio dis-  
criminis in-  
ter Matr.  
& alios  
contractus.  
Molina.

Ratio ergo discriminis inter Matrimonium, & alios contractus est; quod alii contractus, v. g. venditionis, & similes, cadant in Procuratorem, secus Matrimonium. Neque enim (inquit Molina de Just. & iure. to. 2. disp. 551. n. 2. ubi tenet sententiam Covar.) Matrimonium celebratur cum hoc, quemadmodum alii contractus, initi cum Procuratore alicujus, quæ tali, verè cum eo Procuratore celebrantur, tamen de mandato & nomine ejus, cujus est Procurator: sed Matrimonium celebratur solum cum eo, cujus hic est Procurator, mediante tamen hoc, tanquam exprimente consensum ejus, cujus est Procurator, habenteque mandatum & Procuracionem ad id in particulari: atque adeo non is Procurator, sed qui per eum celebrat Matrimonium, est, cui, mediante eo Matrimonio, fit traditio corporis uxoris, & qui comparat jus ad maritales actus. Hæc ille.

86.  
Non conve-  
nit inter  
DD. an in  
Matr. possit  
dari Procu-

Ex dictis patet, non convenire inter DD. an in Matrimonio dari possit Procurator presè sumptus, distinctus à nuntio, sicuti in aliis contractibus cõmuni DD. calculo datur. Interim in hoc omnes conveniunt, quod si ve fit Procurator, si ve nuntius, soli mandanti si ve

mittenti fiat traditio corporis uxoris, & quod ipse solus comparet fibi jus ad maritales actus.

Secundò; certum esse debet, nuntium qui accepisset literas destinandas, in quibus exprimitur consensus mittentis, validè per literas illas tradere per alterum, tamen, si dictum est, Procurator non possit alium substituere, nisi id specialiter ei sit commissum. Ratio est: quia tunc non per nuntium istum, sed per literas exprimitur consensus mittentis; sufficit ergo quacumque via literæ perveniant ad manus sponsæ aut sponsi; & nihil manifestum est, in tali nuntio nullatenus requisitam esse certam ætatem.

Immo neque in Procuratore requiritur certam ætatem, aut aliam qualitatem, præter eam, quam jus naturale exposcit ad exprimeandum consensum nomine alterius, nuntium rationis usum, docet Sanchez lib. 2. disp. 41. n. 8. est in Procuratore ad illam ætatem, ea ætas requiretetur. Probat autem hoc primo; quia nulla prorsus ejus industria consideratur, sed tantum explicat consensum absentis. Et confirmatur; quia ad Matrimonium satis est mutus consensus quibuscumque nubibus expressus; ergo sufficit, & per pupillum, habentem rationis usum, exprimatur.

Probat 2. quia si contraheret Matrimonium per interpretem pupillum, nemo garet esse legitimum: Procurator autem Matrimonio tantum deservit ad interpretandum consensum absentis, sicut interpreti ad aperendum consensum præsentis.

Tertio; quia durissimum esset assertum affirmare, posse puerum quatuordecim annorum se ligare Matrimonio, ad idque capacitatem sufficientem habere, non tamen ad exprimendum consensum alterius, contrahere volentis.

Quartò; quia cum hic contractus sit teris favorabilior, non quæcumque eorum contractuum valorem impediunt, impediunt Matrimonii valorem, nisi in jure exprimatur de ipso Matrimonio; ut constat quia mutus & surdus à natura nullum contractum inire potest, jure communi id prohibente; & tamen in illa prohibitione generali contractuum, non clauditur Matrimonium.

Præterea, prodigus, qui datus est contractuum nullo contractu obligari potest, l. Si cuius lib. 6. ff. de Verb. oblig. ibi: *Tradere vero non potest, vel promittendo obligari*: & tamen manifestum est, validè promittere & contrahere Matrimonium: ergo non obstant generali prohibitione (si talis esset) ne minor septemdecim annis validè constitutur Procurator ad negotia, quàmvis Procurator ad Matrimonium dicatur ad negotia constitutus non



Solutio

non veniret ea prohibitio de Matrimonio intelligenda, sicut etiam prohibitio generalis contractuum, Matrimonium, quod verè & propriè contractus est; minimè claudit. Hæc ille.

Quæ sententia etiam nobis placet, quàmvis non omnes ejus probationes: nam existimo etiam in hoc Procuratore, maximè, quâdo non est omninò determinata persona, sed liberum ei relinquitur, ex pluribus unam eligere, prout fieri posse supra diximus, & probavimus exemplo Abrahami, mittentis servum suum in Mesopotamiam, ad quærendam uxorem Isaac, existimo, inquam, quòd in tali casu requiratur aliqua industria Procuratoris. Sufficiat ergo pro defensione illius sententiæ tertia & quarta probatio.

Cæterùm si à me quæritur, an valeat Matrimonium initum per Procuratorem, si tempore contractus mandans dormiat, aut amens sit; Respondeo & dico:

CONCLUSIO IV.

Nihil interest, an tempore contractus mandans seu scribens vigilet, an dormiat: sanæ mentis sit, an amens.

Prima pars est communis, & constabit ex dicendis pro secunda parte, quam tenet Sanchez l. 2. disp. 11. n. 12. ubi eam infert ex doctrina præcedentis numeri, quæ talis est. Si postquam quilibet Procuratorem misit, nec consentit, nec dissentit; sed in aliis occupatur, valet Matrimonium; quia durat prior consensus virtute, cum non sit obex contrariæ voluntatis; ut qui prius baptizari voluit, si dormiens baptizetur, verum accipit Baptisma, cap. *Majores*, de Baptismo.

Ex hac doctrina, ab omnibus admiffa, infert Sanchez supra n. 12. Si Procuratore misso, dans mandatum in amentiam incidat, & talis perseverat, dum Procurator nomine suo contrahit, valere Matrimonium: manet enim virtute prior consensus, cum revocatus non sit: sicut Baptismus, furæ tempore receptus, petitus ante furiam, validus est, cap. *Majores*, de Baptismo, sine; sicuti si nunc temporis esset dormiens, valeret Matrimonium. Sic Henriquez lib. 11. de Matr. cap. 4. n. 4. Hæc ille.

Et continò sibi ipsi objicit: si Sacerdos audit Confessione, amens fuerit, & sic absolvet, nulla esset absolutio; quia ministri actus debet esse humanus: sed contrahentes per Procuratorem sunt ministri Matrimonii, & non Procurator, ergo si tempore, quo consensus præbet Procurator, qui mandatum dedit, rationis usu destitutus sit, erit irritum Matrimonium. Ecce objectio.

Subsequitur responsio: scilicet, argumentum concludere, per seipsum contrahentem, necessariò debere esse sui compotem, dum contrahit: undè nihil ageret, si dormiens vel insanus tunc esset; at dum contrahit per Procuratorem, satis est, ut dum mandatum dedit, sui compos esset, nec revocavit: & Procurator, dum ejus præstat consensum, sit sui compos, ut in cæteris contractibus contingit; quia tunc contrahens non ministrat per seipsum, sed medio instrumento. Hæc Sanchez.

Et quàmvis omnes doceant, perindè esse, an mandans seu scribens vigilet, an dormiat; equidè putat Pontius lib. 2. cap. 15. n. 14. non valere Matrimonium, si mandans seu scribens incidit in amentiam. Ratio, quæ me movet (inquit ille Auctor) hæc est. Quia pro forma & causa contractus est consensus, expressus per verba Procuratoris: at eo tempore impossibilis est consensus. Ergo nullum Matrimonium.

Adde: si moreretur mandans eo tempore, nihil ageret Procurator; ipsa enim morte cessaret consensus. Ergo etiam amentia, quæ æquiparatur morti quoad consensum. In quo videtur longè diversam esse rationem de mandante, si in amentiam incidat, aut si dormiat; ille enim incapax est habendi consensum, hic verò minimè.

Neque simile est, quòd Baptismus petitus ante amentiam, validè conferatur in amentia, cap. *Majores*, de Baptismo. Nam ut Baptismus effectum habeat, satis est voluntatem præcessisse, neque revocaram; eo enim ipso posita materia & forma, ponitur effectus: at in Matrimonio necessarius est consensus perseverans, etiam in ipso fieri contractus, quia consensus, per verba expressus vel signa, est forma Matrimonii.

Idem est in Sacramento Pœnitentiæ; potest enim absolvi, qui ante amentiam dedit signa contritionis, neque enim necesse est simul sint in Pœnitentia materia & forma ejus Sacramenti.

Atque id quod dicimus intelligetur facillè, si quæramus; an cum illo in amentiam incidente, & præsentè, licèt explicasset antea consensum, contraheretur Matrimonium? Minimè sanè. Igitur neque per Procuratorem contrahi poterit, si mandans in amentiam incidat. Hucusque Pontius.

Hanc sententiam approbat Card. Lug. de Sacram. disp. 8. n. 108. in fine, dicens: Quare meritò, Matrimonium illud validum non esse, observavit etiam Basil. Pontius de Matr. lib. 2. cap. 15. n. 14. licèt rationes illius satis efficaces non sint. Hæc ille.

Ego autem dico: Si rationes Pontii satis efficaces non sint, neque satis efficaces erunt rationes Lugonis, qui nullam aliam affert, E c e 2 quàm

93. Oppositum de amentie docet Pontius. Probat

Secundò

94. Resp. ad exemplum Baptismi.

95. Sententiam Pontii approbat Lug.

90. Auctori placet sententia Sanchez.

91. Valeat Mor. in mandatis dicitur. Probatur quòd de eo dicitur.

92. Pœnitentiam, si quis fuerit amens, ex hoc tenent.

93. Obiectio.

Ejus probatio ex l. 47. & 48. ff. de Acquir. hered.

quàm regulam generalem, ut ipse vocat, quòd mandatum sicut expirat morte mandantis, sic etiam expiret, mandante facto furioso, vel amente; ut habetur in leg. *Qui servum suum*, 47. & leg. *Si quis alicui*, 48. ff. de Acquir. hæredit. quia nimirum jam ab eo tempore videtur expirasse voluntas mandantis, cum jam non censetur capax celebrandi contractus. Ita Eminent.

Et verò quis non videt, idem argumentum adducere Pontium supra, ibi: *Adde: Si moreretur mandans &c.* Nihil clarius est. Ergo si illa ratio Pontii non sit satis efficax, neque satis efficax erit illa ratio Lugonis.

96. An sit effectus

Ut autem videamus, quàm efficax sit hoc argumentum, exscribo verba utriusque Legis: *Qui servum suum hæredem institutum adire jusserat: priusquam ille adiret, furiosus est factus, negavit, rectè servum aditurum; quoniam non nisi voluntate domini adquiri hæreditas potest: furiosi autem voluntas nulla est.*

Altera lex sic loquitur: *Si quis alicui mandavit, ut, si æstimaverit, peteret sibi bonorum possessionem, & postquam ille petiit, furere cepit: nihilominus acquisita est ei bonorum possessio. Quòd si antequam ille petat, is, qui mandavit pendendum: furere cepit: dicendum non est; statim ei acquisitam bonorum possessionem. Igitur bonorum possessionis petitio rati habitione debet confirmari.* Adde Reg. 40. ff. de Diversis Reg. Juris: *Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.*

97. Resp. Dic. cas.

Respondet Dicastillo disp. 2. n. 151. posset quidem in illis duabus legibus reperiri circa subjectam materiam specialis ratio sic statuendi; quàmvis, ut verum fatear, ratio legis universalis videatur, & illa regula juris, nullà designatâ particulari materiâ, universim loquatur. Quidquid tamen de hoc sit, & quidquid jura civilia disponant in aliiis rebus, pro valore Matrimonii parùm refert, si alioquin jure Canonico aut naturali voluntas & consensus non censetur cessare. Hęc ille.

98. Neque per amentiam, neque per mortem generaliter cessat voluntas, ex c. 9. de Offic. deleg. in 6.

Porro nullum invenitur jus Canonicum, quod generaliter declarat, consensum mandantis cessare propter amentiam, in quam post mandatum mandans incidit. Sed neque per mortem, cum scriptum sit c. *Si super gratia*, de Offic. deleg. in 6. *Æquum esse censemus ut sicut ipsa gratia (licet non sit in ejus executione processum) morte non perimitur concedentis, sic nec etiam re integrâ perimatur executoribus data potestas, quam veluti gratiæ prædictæ accessoriâ, naturam sequi congruit principalis.*

Ex quo jure inferunt communiter Theologi, gratiam absolutè factam, acceptari posse, etiam post mortem concedentis. Nam jus non distinguit inter gratiam acceptatam & non acceptatam; & ratio, quam allegat Pontifex, scilicet: *Ne gratiam eandem, vel reddi quandoque inutilem, vel ipsius effectum in rem-*

*pus longius (cum illius dispendio, cui facta exiit) differri contingat, utrobique locum habet ut clarum est. Ergo generaliter jure Canonico non cessat consensus per mortem, multò minus per amentiam.*

Immo & jure civili non semper per mortem consensus cessare, patet manifestè ex l. 4. ff. de Manumissis vind. *Si pater filium perdidit, miserit, servum manumittere, & interim dixerit, cessasset intestato: deinde filius ignorans patrem suum mortuum, libertatem imposuerit: libertas servo favore libertatis contingit, cum non appareat mutata esse domini voluntas. Quid si ergo pater factus fuisset interea amentis, putas, quia libertas servo favore libertatis non contingeret? Noli putare. Quippe si per mortem non appareat mutata domini voluntas, neque per amentiam.*

Et verò quid clarius, quàm jure naturali & jure positivo tam Canonico, quàm civili, testamenta, & cæteras ultimas voluntates post mortem testatoris permanere, saltem quoad effectum; immo per mortem contractuari etiam commissiones ad contrahendum? Siquidem hæc ratione solet testator mandare executori testamenti, vel hæredi, ut emat vel vendat talem domum; emptionem autem vel venditionem tunc ille celebrat nomine defuncti, cujus consensus & voluntas censetur durare quoad talem effectum.

Adde: quòd etiam extra ultimas voluntates, si mandatum sit ad pias causas, quoniam factus sit mandatum illud revocare, intermedium vivit mandans; morte tamen ipsius censetur revocatum, ut cum comuni DD. sententia, quam refert, affirmat *Comenzos* 2. *Variarum resolut.* l. 1. cap. 14. n. 166. leg. 1. *Si ego*, 9. ff. de Jure dotium §. 1. vers. *Sed non minus est, favore dorum necessitatem imponi reddi, consentire ei, quod defunctum, fecit.* Ergo similiter favore piz causæ, quæ non immutatur à DD. æquiparatur doti. Et apertius probatur ex l. *Si pater*, ff. de Manumissis vind. supra allegata, ubi mandatum favore libertatis morte mandantis non expirat.

Quare, inquit Molina de Just. & jure 2. tract. 2. disp. 263, n. 3. Si quis aliqui alicui dedit, ut traderet in elemosinam, aut ut confunderet illud in alia causa pia, vel donatio & mandatum revocata non cessatur morte mandantis, sed in iis ipse rebus sunt illa infumenda, ad quas sunt tradita.

Et n. 4. notat discrimen aliquod inter mandatarium & Procuratorem; quòd acta per merum & simplicem mandatarium, regulariter sunt invalida postquam mandatum est revocatum, etiam tacitè mandantis morte estò mandatarius ipse, usq; circa quædam mandatum exequitur, revocationem ignorans: acta verò per Procuratorem, antequam de revocatione facultatis constet, valida sunt. Ex.

Excipit autem ipse ab hac regula solum Matrimonium, at verò Basil. Pontius alios præterea contractus, ut diximus Concluf. 2. Vide ibi dicta.

103. Ceterum Mol. supra n. 7. videns inconuenientia quæ sequi possunt ex legibus, quæ statuunt morte mandantis expirare mandatum (præsertim, quod qui culpabiliter omisit, set exequi mandatum donandi alicui, teneatur duplicem facere restitutionem unam donatario, alteram hæredibus mandantis donatoris) sic ait: certè Christianis Principibus consulerem, legem ferrent, quæ statuerent in donationibus mandatum non expirare morte mandantis; æquitas nãque postulat, ut voluntas illa defuncti, quam mandari executioni præcepit, & in qua usque ad mortem perseveravit; immo & quam ipse ex parte executioni mandare cepit, perficiatur; neque ejusmodi juris civilis subtilitatibus impediatur. Interim tamen dum leges civiles hac in parte non revocantur earum dispositioni est standum: eò quod voluntatem, mandatumque illud defuncti, irrita reddere potuerunt, ut donatio illa effectum consequeretur, nihil impediens, quod contrarium rationi esset magis consentaneum, & quod seclufis illis legibus, contrarium esset dicendum, stando in solo jure naturali. Hæc ille.

104. Quibus, inquit. Dicastillo supra n. 153. aperte docet, solo jure positivo introductum fuisse: ut superveniente morte censeretur cessasse voluntas & consensus mandantis in plerisque donationibus. Unde quando in lege: Mandatum, Cod. Mandati, dicitur: Mandatum re integra domini morte finitur, id in casibus, non exceptis à jure, intelligi debet; quia cum ea extinctio sit solo jure positivo introducta, ad eos tantum casus se extendit in quibus tale jus locum habet.

Ex his patet (prosequitur idem Auctor) neque ipsa morte physica jure naturæ extingui vim consensus illius præstiti in vita; atque adeò multò minus amentia & furia; quæ utcumque dicitur morti æquiparari. Et quidem æquiparatio non debet in omnibus tenere, ut videre est in ipso Matrimonii vinculo; jam contracto, quod quantumvis dissolvatur per mortem, non tamen dissolvitur per amentiam, ut omnes fatentur, etiam seclulo jure divino, & elevatione, quæ elevatus contractus ad rationem Sacramenti. Hucusque Dicastillo.

105. Infero ego: ergo tametsi per mortem mandantis dissolvatur, seu finiatur mandatum contrahendi Matrimonium, non rectè inferatur: ergo etiam dissolvitur per amentiam seu furiam. Ratio disparitatis patet; quia mortuus incapax est Matrimonii: nam per mortem etiam dissolvitur Matrimonium

antè contractum; at verò amentis incapax est Matrimonii, saltem vinculi Matrimonii; nam per amentiam, secundum Omnes, non dissolvitur Matrimonium, ante validè contractum. Ergo etiam amentis validè illud contrahit, non quidem per seipsum, sed medio instrumento sive Procuratore seu litera, in quibus ejus consensus actualis, ante amentiam præstitus, virtualiter perseverat, eodem modo, quo perseverat, quando mandans dormit. Neque enim pro tempore somni potest actualiter consentire, aut per seipsum contrahere, & tamen valet contractus initus pro tali tempore per Procuratorem vel literam. Quare? Quia in ipsis, etiam pro illo tempore, virtualiter perseverat consensus actualis, ante somnum præstitus.

Equidem non satis intelligo, cur potius amentia, maxime quando non est perpetua, pro tempore amentis omnino extinguat consensus mandantis, quam somnus pro tempore somni. Solum differentia est, quod dormiens facilius evigilet, quam amentis redeat ad mentem. Nam dormiens pro tempore somni æquè incapax est consensus actualis, quam amentis pro tempore amentis.

Ex quo patet responsio ad rationem, quæ movit Pontium; transeat enim, quod pro forma; & causa contractus Matrimonii, sit consensus expressus per verba Procuratoris; & similiter, quod pro tempore amentis sit impossibilis consensus actualis mandantis; sed quid tum? Nonne etiam pro tempore somni est impossibilis consensus actualis mandantis? Quis potest prudenter dubitare? Et tamen pro illo tempore, etiam secundum Pontium, validè contrahitur Matrimonium per Procuratorem: ergo etiam pro tempore amentis.

Quid si enim constet, amentiam minus duraturam, quam somnum, & citius mandantem, nunc amentem, rediturum ad mentem, quam evigilaturum, quando dormit? Cur contractus initus tempore talis amentis, minus valebit, quam initus tempore somni? Quid si aliquis mandans incidat in somnum lethargicum, ex quo nunquam evigilabit, sed certò certius in illo morietur, censens quia Matrimonium, per Procuratorem initum tempore illius somni, non valebit? Sicut ergo somnus ille, semper duraturus, non extinguit omnino consensum præstitum, ita neque perpetua amentia, multò minus amentia solum temporalis.

Sed dicit aliquis; si quis per seipsum explicasset consensum suum sponsæ, & antequam sponsa respondeat, & suum reciprocum præstet consensum, sponsus incidat in amentiam, per consensum sponsæ, supervenientem tempore amentis, non perficeretur

contrahendi Matr.

106. Resp. ad rationem Pontii.

107. Objectio.



contractus Matrimonii, aut Sacramentum; ergo similiter in casu proposito.

108.  
Solvitur.

Respondeo; quid si sponsus statim obdormiret, & tempore somni sponsa exprimeret suum consensum? Putas, quia valeret tale Matrimonium? Si affirmas, etiam affirmo valiturum Matrimonium, tamen si sponsa exprimeret suum consensum tempore amentiae. Si negas, etiam nego. Neque enim video sufficientem rationem disparitatis.

Petis à me, an sit affirmandum, an verò negandum? Respondeo; si ante amentiam & somnum non solum expressit suum consensum sponsae, sed etiam consensum sponsae, postea praestandum, acceptavit, forte valere Matrimonium. Sicuti si Christus constituisset duplicem ministrum Baptismi, unum, qui ablueret, alterum, qui proferret formam; tamen si ille, qui abluisset, tempore quo proferretur forma dormiret, aut foret amentis, adhuc valeret Baptismus, quia tota ministratio Sacramenti fuit humana, sive facta humano modo cum debita intentione. Ergo in casu praesenti, cum duplex sit minister Sacramenti, videtur sufficere ad ejus valorem, ut uterque exprimat suum consensum alteri, & alterius consensum acceptet humano modo cum debita intentione.

109.  
An qui consentit in Matr. hoc ipso acceptet consensum alterius.

Quodd autem possit ex nunc acceptari valide consensum, postea ponendus, patet ex Conclusionem sequenti. Immo semper, secundum Aliquos, qui consentit in Matrimonium, sive accipit aliquam in suam, hoc ipso videtur acceptare consensum illius, postea praestandum; cum non possit esse sua, nisi acceptando illius consensum: si ergo ex nunc vult esse suam, ex nunc vult acceptare, & acceptat ejus consensum, postea ponendum; unde nemo obligat contrahentes Matrimonium, ut post expressionem proprii consensum, rursus consentiant, sive ut novo consensu acceptent consensum alterius partis.

Gratis autem admissio, quodd requireretur nova acceptatio, tunc disparitas est: quodd quando contrahit quis per seipsum, nihil adfit, in quo virtualiter maneat prior consensum, adeoque nullus adfit, qui consensum alterius partis possit acceptare; at verò quando contrahitur per Procuratorem, prior consensum in ipso virtualiter permanet quamdiu non revocatur; procedit quippe mandatum & executio ejus ex actuali intentione, quae fuit in mandante tempore mandati, & ideo tunc per Procuratorem potest consensum alterius partis acceptari; qui enim habet mandatum contrahendi Matrimonium, habet mandatum non solum consentiendi nomine mandantis, sed etiam consensum alterius partis acceptandi, cum sine tali acceptatione non possit Matrimonium subsistere.

110. Sufficit ergo, quodd mandans tempore

mandati fuerit vigilans & compos rationis, utcumque sit constitutus eo tempore, quo vel per epistolam, vel per Procuratorem ejus consensum exprimitur, & consensum contrahentis acceptatur. Sin autem tempore, quo misit epistolam, vel Procuratorem, dormivisset, aut fuisset amentis, absque dubio nihil fieret, tamen si tempore, quo explicatur consensum sponsae vigilaret, & esset compos rationis; quia non explicatur consensum humanus, qualis tamen necessarius est ad contractum, & Sacramentum Matrimonii; exemplo aliorum Sacramentorum, quorum ministri humano modo debent operari, ut Sacramentum valeat, id est, debent habere intentionem, minus virtuale, faciendo, quod facit Ecclesia, ergo cum in hoc Sacramento contrahentes sint ministri, ad minus debent habere intentionem virtualem contrahendi, & faciendo quod facit Ecclesia; jam autem in dormiente vel amentis non reperitur intentio virtualis, ut patet ex dictis proprio loco; quamvis bene permaneat in ipsis intentio habitualis; quae licet sufficit ad suscipiendum Sacramentum, quod solum probat exemplum Baptismi, à Sacerdote supra allatum, minime tamen ad ministrandum Sacramentum, saltem per seipsum.

An autem sufficiat ad Sacramentum ministrandum per alium, tanquam per instrumentum, quaestio est, ut alibi adhuc ponemus, magis de voce, quam de re. Certum est, in mandante, quando dormit nec proprie dictam intentionem virtualem, ad minus requiritur à DD. ad Baptismum, & alia Sacramenta ministrata per seipsum. Etiam constat apud Omnes illam voluntatem praeviam mandantis, quae videtur ut Procurator nomine suo contrahere, quod videtur, ut mandans per Procuratorem contrahat Matrimonium; ergo vel debemus dicere voluntatem habitualement sufficere ad Sacramentum ministrandum per alium, tanquam per instrumentum; vel certe oportet hanc voluntatem appellare virtualem, quatenus voluntas actualis mandantis manet in mandato, quamdiu non revocatur, ut supra innuavi. Vide quae de hac controversia dicimus Disp. I. Sect. 8. n. 49.

Hinc Coninck de Sacram. disp. 24. n. 71. dans rationem, quare potius ebrui per alium possit contrahere, quam per seipsum, sic ait: Modò Procurator, dum contrahit, utatur ratione, externus contractus est, & liber & humanus, etiam prout tanquam actus imperatus, secundum morem rationationem, procedit à mandante: ad quod sufficit, ut hic liberè eum mandaverit; quia haec mandatio sola ex parte mandantis causa illius contractus, & sic ab illa sola habet, quodd respectu mandantis sit actus liber. Haec ille.

Itaque in illo instrumento (sive Procuratore, sive epistola) quod liberè quis assumpsit ad contrahendum, in illo, inquam, instrumento, ratione liberè istius assumptionis, censetur consensus affumentis moraliter & humano modo manere, & per illud humano modo præstari, adeoque voluntas sic permanens, rectè dici potest intentio virtualis & non tantum habitualis, ut ita generaliter verum sit, quòd in ministro Sacramenti requiratur intentio saltem virtualis.

113. Quæ cum ita sint, persistimus in Conclusionem, & dicimus rursus; perinde esse ad valorem Matrimonii, quod contrahitur per Procuratorem, vel epistolam, sive principalem, tempore quo perficitur contractus, vigilet seu dormiat; sanè mentis sit an amentis, dummodo vivat: quàmvis enim amentia, maximè perpetua, in aliquibus æquiparetur morti (uti etiam somnus) non tamen in omnibus; sic enim valeret testamentum à tempore amentis, quod constat esse falsissimum, etsi amentia foret perpetua. Ut proinde neque rationes Pontii, neque rationes Lugonis sint efficaces, id est, efficaciter probent, Matrimonium celebratum per Procuratorem; eo tempore, quo principalis est amentis, esse invalidum, præcisè quia amentis est, ita ut nequeat sponsa, quæ sciret amentiam, validè in ipsum consentire, eò quòd amentis non possit in eam validè consentire.

114. Addo: *Præcisè quia amentis est* &c. quia putat. Dicastillo sup. n. 160. & seqq. ex alio capite illud Matrimonium regulariter fore invalidum. Atque in primis, inquit, si vera sit, ut est probabilissima opinio, quæ docet, conditionem servitutis, ignoratam ab altero contrahente, jure naturæ reddere nullum contractum, eadem ratione dicendum erit, jure naturæ conditionem amentis, ignoratam ab altero contrahente, annullare contractum; immo multæ ex rationibus, quas afferunt, qui putant, jure naturæ irritare conditionem servilem, potiori ratione locum habent in hoc casu, v. g. quòd servilis conditio reddat hominem impeditum ad individuum vitæ societatem, & minùs expeditam facultatem ad reddendum debitum habeat.

115. Sed responderi posset: vel ex hoc improbari illam sententiam, quæ docet, conditionem servitutis ignoratam dirimere jure naturæ Matrimonium; cum communior sententia doceat, conditionem amentis ignoratam in casu proposito non dirimere Matrimonium; alioquin & alii morbi ignorati, aut aliæ qualitates personarum, quæ non minùs, sed aliquando magis impediunt individuum vitæ societatem & minùs expeditam facultatem ad reddendum debitum habent, jure naturæ dirimerent Matrimo-

nium, quod magnam pareret confusionem in Ecclesia Dei.

Certè haud ambigo, quin multæ mulieres mallet habere virum amentem, alioquin boni humoris, mansuetum, castum &c. quàm virum rationis compotem, alioquin iracundum, incontinentem, litigiosum, ebriosum &c. Et dicemus propterea, omnia illa Matrimonia esse irrita jure naturæ, quia si scivissent illas qualitates viri, nolissent contrahere? Non est hæc talis quæ auditum in Ecclesia Dei. Sibi imputari debent in casu proposito, & in similibus, quòd habeant virum amentem, aut alterius complexionis, quàm putabant & sperabant se habere; sed de hoc iterum redibit sermo Sectione sequenti.

Nunc propono secundam viam, quæ Dicastillo sup. n. 161. putat, satis probabiliter explicari & probari, quòd consensus nec ex parte amentis censetur permanere, nec ex parte alterius, qui illum admittit, censetur haberi. Quia nimirum, nisi explicetur satis clarè, non censetur quis velle efficere contractum, qui, estò si fiat, valeat; illicitè tamen & imprudentissimè fiet, adeoque non sine peccato. Sed contrahere cum furioso, habente lucida intervalla illicitum est; ergo potiori ratione contrahere cum furioso non habente ea lucida; ergo quando in nostro casu alter conjux ignorat furiam alterius, & cum Procuratore contrahit nomine jam furiosi, non censetur præbuisse consensum pro casu, quo sit furiosus, nec voluisse furiosum admittere, quem non putabat talem.

Ex parte etiam ipsius amentis possumus argumentari; quia, nisi aliud explicet, non censetur habere voluntatem pro casu, quo incideret in amentiam. Nam si illicitum est habenti lucida intervalla (nisi aliunde excusetur) inire Matrimonium, saltem non præmissis cautelis, vel ad non occidendam, vel ad debitè educandam prolem, quantò magis erit illicitum velle, quando sanus est, sic contrahi nomine suo à Procuratore, ut etiam fiat casu, quo ante contractum factus sit amentis? Talis enim voluntas esset illicita; ergo non censendus est illam habuisse, nisi alioquin constet illum sic voluisse.

Itaque existimo (concludit præfatus Autor) in tali casu non fieri validum contractum; non quia cesset voluntas amentis propter adventum furis vel amentis; sed, quia nunquam censetur fuisse voluntas ex parte illius, ut Procurator contraheret etiam casu quo priùs ipsemet mandans in amentiam seu furiam incidisset. Item, quia neque altera pars censetur consentire in Matrimonium cum amente, quando ignorat ipsum, quem putabat sanum, amentem esse, atque

116. Secunda probatio

117. Propter quam Dicastillo existimat tali casu Matr. non valere.

118. *Contra ar-  
guitur.*

atque aded illicitè & imprudenter illum susciperet, si consentiret. Hucusque Dicast. Sed contra: si omnia illa Matrimonia essent invalida defectu consensûs alterius partis, quæ imprudenter & illicitè contraherentur, si qualitates personarum forent cognitæ, quæ nunc latent, Deus bone! quot Matrimonia essent invalida, quæ tamen ab Ecclesia pro validis agnoscuntur? Pono exemplum hominis hæretici, cum quo ignoranter contrahitur in facie Ecclesiæ coram Parocho & testibus, censetur quia Matrimonium illud ab Ecclesia reputaretur invalidum defectu consensûs alterius partis, quæ si scivisset illam qualitatem non potuisset prudenter & licitè contrahere? Aliquis contrahit ignoranter cum muliere habente votum castitatis, aut sponsalia cum tertio, putas, quia scienter non posset licitè contrahere, idèd Matrimonium esse invalidum? Contrahit quispiam ignoranter tempore interdicti, num existimas, idèd Matrimonium esse invalidum, quia cum scientia interdicti non potuisset prudenter & licitè contrahere? Nolim existimes, quia non est sapientis. Ergo etiam non videtur sapientis dicere, idèd præcisè Matrimonium cum amente non valere; quia si altera pars amentiam scivisset non potuisset prudenter & licitè velle contrahere.

119. *Casus aliquis, in quo Dicast. putat tale Matr. valere.*

Interim admittit Dicastillo, valere Matrimonium cum amente, aut delirante, aut alienato à sensibus vi morbi, jam moribundo, quando ille, ut satisfaceret suæ obligationi, dederat potestatem alicui, ut nomine suo contraheret cum aliqua absente, cui debebat Matrimonium, quod, nisi contraheretur, maneret illa infamis, & fortè illegitimi filii; tunc enim iustum est sic contrahere, & ex parte utriusque conjugis censetur adesse voluntas, etiam pro casu furivæ & amentivæ, seu alienationis à sensibus; quia utrumque contrahentem sic contrahere honestum est in eo casu, atque aded & voluntas fuit ante amentiam, & non censetur retractata, aut cessare in amentia; & in tali casu vera est sententia Sanchez & Henriquez. Hæc ille.

120. *Judicium Auctoris.*

Ego autem, salvo meliori, existimo veram esse sententiam Sanchez & Henriquez & aliorum plurimorum, non tantum in tali casu, sed semper quando non fuit talis conditio exterius appositæ, vel saltem interius expressa in mente contrahentium. Dico etiam; nullum esse peccatum sine tali conditioe velle contrahere, nisi amentia aliquo modo fuisset prævisa; sicuti non est malum velle absolutè contrahere cum tali homine, quem prudenter puto liberum à voto & à sponsalibus; quem prudenter existimo esse Catholicum, quamvis in rarissimo & metaphisico quasi eventu possit contrarium esse

verum; jam autem rarissimè & quasi metaphisicè contingit, ut aliquis, qui instituit Procuratorem, intermedio tempore fiat amens, & idèd non est necesse illam conditionem vel exterius expressè conditionem apponere, sed licet absolutè contrahere.

Et idèd omnes Judices, meo iudicio, debent judicare pro validitate talis Matrimonii, nisi velint sequi sententiam Pontifici, ut patet ex dictis, laris debili nititur fundamento, videlicet juri positivo civili, quod in aliquibus casibus seu contractibus disponit mandatum cessare furore seu amentia mandantis; sed huic dispositioni non subest contractus Matrimonii, elevatus ad dignitatem Sacramenti; quoniam *Declarat* Trident. Synodus sess. 21. cap. 2. *hanc potestatem per tuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva eorum substantia, ea mutentur vel mutaret, quæ suscipientium nihil, sed ipsorum Sacramentorum venerationi, proprium, temporum, & locorum varietate, magis expedire judicaret.* Cum ergo Ecclesia nullam disponat, mandatum expirare amentia seu furore mandantis; sed neque generaliter expirare morte mandantis, aut specialiter in contractu Matrimonii, iterum subscrībimus Conclusioni tanquam magis communi & longè probabiliori.

Restat unica difficultas, quæ imponitur huic sectioni, videlicet, quo tempore servanda sit lex Tridentini, ubi illa obstat quando imponitur mandatum, an quando Procurator nomine mandantem contrahit? Resolutio erit.

CONCLUSIO V.

Servanda est lex Tridentini de Parocho & testibus, non in conditione instrumenti, sed in ipso contractu.

**F**undamentum desumitur ex verbis Conc. Trident. sess. 24. in Decret. de form. Matr. cap. 1. *Qui aliter quam per Parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius Parocho seu Ordinaris licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentaverit &c.* Sed qui conficiunt instrumentum absente Parocho, non idèd attentant contrahere Matrimonium aliter, quam præstat Parocho &c. ergo Matrimonium, quod per modum vi istius instrumenti contrahitur per Procuratorem, præsentem Parocho, & duobus testibus, non est invalidum.

Probatur minor; quia dare mandatum contrahendi, quod solummodo fit per conditionem instrumenti, non est contrahere, alioquin quando utraque pars destitisset mandatum

datum suo respectivè Procuratori contrahendi Matrimonium, jam Matrimonium foret contractum, quod constat esse fallum. Nam Matrimonium semel validè contractum, consensu partium nequit dissolvi, certum autem est quod utraque pars possit revocare suum Procuratorem & impedire, quò minus valeat Matrimonium, per ipsum postmodum contrahendum, ut patet ex dictis.

Sufficit ergo, quòd Parochi & testes adhibeantur, quando per Procuratorem aut episcopalem Matrimonium contrahitur seu perficitur, hoc est, quando præstatur & acceptatur mutus consensus, ita ut inducatur vinculum indissolubile. Sic habet praxis totius Ecclesiæ; quippe nunquam auditum fuit, eam solemnitate in mandato dando Procuratori servari. Et aliunde, ut evitentur inconvenientia, quæ Concilium voluit evitari per suum decretum, satis est quòd adhibeatur illa solemnitas in ipso contractu, ut patebit ex dicendis ad objecta Adversariorum.

Prænotandum porro, quòd decretum istud Concilii sit correctoriū juris antiqui, quo neque ad confectionem instrumenti, neque ad ipsum contractum solemnitas illa requirebatur. Jam autem legum correctio evitanda, quantum possibile est; ac proinde non inducenda per tacitum intellectum, quamvis clausula nil operaretur, ut ait Sanchez lib. 2. disp. 11. n. 23. cum aliis, quos citat; quantò magis, ubi nihilominus multum operatur, ut in presenti, dum annullat ipsum Matrimonium, quamvis non corrigat jus commune circa confectionem instrumenti. Itaque si voluisset Tridentinum annullare dictum mandatum, factum absque ea solemnitate, id utique expressisset, quemadmodum expressit ipsum contractum.

Sed contra, inquit Adversarii, solemnitas requisita ad aliquem actum, est necessaria ad dandam commissionem faciendi talem actum, & ita prohibente statuto donationem fieri absque quinque testibus, censetur prohibitum mandatum donandi absque illis. Ergo sufficit quòd Tridentinum expresserit ipsum contractum.

Antecedens probatur ex leg. 16. ff. de Sponsal. Oratio Imperatorum Antonini & Commodi, quæ quasdam nuptias in personâ Senatorum imhibuit de Sponsalibus nihil locuta est: rectè tamen dicitur etiam sponsalia in his casibus ipso jure nullius esse momenti: ut suppleatur quod orationi deest. Ex quo textu videtur colligi, prohibito aliquo, censeri prohibitum omne id, per quod pervenitur ad illud: ergo cum Trident. secl. 24. cap. 1. de Matr. exigat presentiam Parochi & testium ad Matrimonii valorem, eadem solemnitas desiderabitur ad valorem mandati, contrahendi illud.

Confirmatur ex leg. 39. Tauri, hodie l. 3. tit. 4. lib. 5. recopil. ubi disponitur, eandem solemnitate[m] exigi in mandato testamentum conficiendi, quæ in ipso testamento exigitur. Cujus ratio est; quia eadem ratio, virtus & effectus, quæ sunt in consequenti, dicuntur esse in antecedenti; arg. textus l. Illud, 77. ff. de Acquir. hæred. & ita cum pro testamenti falsitate vitanda, jus certam solemnitate[m] petat, merito illammet in mandato ad testandum nomine alterius desiderat, cum sit antecedens necessarium, ut alterius nomine testetur: ergo similiter in nostro casu, cum mandatum, ad contrahendum Matrimonium nomine alterius, sit antecedens necessarium, ut tale Matrimonium valeat, exigit eandem solemnitate[m] Parochi & testium, quàm ipsum Matrimonium.

Ad hoc argumentum patet responsio ex dictis Sect. 1. Concl. 9. ubi docuimus, non solum valere, sed etiam licere sponsalia clandestina; tamen si Matrimonium clandestinum non solum non liceat, sed etiam non valeat, ubi Trident. est receptum; & tamen sponsalia sunt etiam aliquid antecedens & prævium ad Matrimonium. Videantur ibi dicta circa intellectum illius leg. Oratio.

Ad confirmationem Respondeo cum Sanchez sup. n. 25. esse specialem dispositionem in eo casu; primò ad vitandas commissariarum fraudes, ut dicitur l. 31. Tauri, ibi: *los tales comisarios hacen muchas fraudes*. Secundo; quia tale mandatum ad testandum, non tam dicitur commissio ad testandum, quam testamentum, succeditque loco testamenti; quia continet institutionem hæredis, substitutiones, exhæredationes, meliorationes, donationes tutorum, quæ omnia si commissarius non faciat, per tale mandatum manent ipso jure facta, leg. 33. Tauri, hodie l. 7. tit. 4. lib. 5. recopil. cum ergo tale mandatum loco testamenti succedat, mirum non est, si lex eandem testamenti solemnitate[m] petat. Hæc ille. Jam autem certum est, mandatum contrahendi Matrimonium, non succedere loco Matrimonii; ergo mirum non est, si lex non eandem Matrimonii solemnitate[m] petat.

Itaque sufficere videtur ad valorem Matrimonii, quod contrahitur per Procuratorem, ut Parochus & testes assistant externo contractui, dum sic à Procuratoribus celebratur, & sufficienter intelligant, quid, & quorum nomine celebretur. Ad quod, ut notat Coninck disp. 24. num. 78. requiritur Primò, ut mandans suo Procuratori eâ ratione det commissionem, suo nomine cum tali persona contrahendi, ut hoc possit in foro externo clarè probari, sive per publicum instrumentum, sive aliâ legitimâ ratione.

Fff

Pro;

125.  
Confirmatur ex l. 39. Tauri.

126.  
Resp. ad objectionem.

127.  
Ad confirmationem Sanchez. l. 31. Tauri.

L. 33. Tauri.

128.  
Primum reò quisitum, ut Parochus & testes validè assistant Matr. quod contrahitur per Procuratorem ex Coninck.

123.  
Pylæus  
Caus. 1. ex  
par. 2.  
c. 14.

Legum correctio evitanda.  
Sanchez.

124.  
Prima ob-

L. 16. ff. de Sponsal.

Probatur: quia aliàs ex tali Matrimonio sequerentur omnia incommoda, quæ sequuntur ex Matrimonio clandestino; immodò secundum mentem Trident. esset verè clandestinum, quia de eo in facie Ecclesiæ constare non posset. Nam si mandans negaret, se tali dedisse eam commissionem, nullo modo coram Ecclesia probari posset, ipsum cum tali contraxisse.

129.  
Secundum.

Secundò; ut Pastori, aliisque testibus sive per inspectionem instrumenti, sive per sufficientia testimonia, aliàve legitimà ratione moraliter constet, Petrum v. c. dedisse commissionem tali, ut cum Catharina suo nomine contraheret de præsentanti.

Probatur; quia illi non solum debent testari, talem Procuratorem dixisse Catharinæ, Petrum eam accipere in uxorem; sed eum hoc ex mandato Petri dixisse; sive potius, Petrum per talem Procuratorem Matrimonium cum Catharina contraxisse: ad quod necessarium est, ut sufficienter sciant Petrum, hoc mandatum dedisse. Hæc Coninck.

130.  
Obiectio.

Cui si objicias: etsi illicitè, validè tamen Pastor assistit eorum Matrimonio, quos scit habuisse impedimentum dirimens, & non nisi incerto valdè modo scit, eos jam obtinuisse dispensationem; ergo similiter validè assisteret tali Matrimonio, etsi dubius sit, an Procurator verè habeat à Petro tale mandatum.

Solutio Re-  
gii.

Respondet negando Consequentiam: quia de essentia Matrimonii non est, ut Pastor possit testari tales validè contraxisse; sed ut possit testari, eos verè secundum omnem externam apparentiam in se mutuo de præsentanti consensisse; quod in priori casu verè vidit eos facere, etsi nesciat an validè id fecerint, quod alia ratione probandum est; secus autem est in secundo casu. Nam nisi morali certitudine sciat, Procuratorem habuisse tale mandatum à Petro, etsi possit testari Procuratorem alieno nomine cum Catharina contraxisse; nunquam tamen poterit testari, eum hoc fecisse nomine Petri, sive Petrum per Procuratorem contraxisse cum Catharina, quod tamen Trident. tanquam essenziale Matrimonio requirit. Hucusque præfatus Auctor.

131.  
An valeat  
mandatum  
solâ voce  
traditum, ex  
Aversa.

Contrarium insinuare videtur Aversa q. 3. sect. 5. *Debet tamè*, ubi circa finem sic ait: Et quando mandatum ipsum scripto & publico instrumento traditur, nec etiam necesse est ad valorem, ut talis scriptura ostendatur Parocho & testibus; siquidem poterat valere mandatum solâ voce præstitum. Sed tamen ad majorem securitatem & cautelam, solet exigi, ut ostendatur; sicut & regulariter solet scripto & publico instrumento, & non solum voce aut privatâ scripturâ tradi. Hæc ille.

132.

Sed comòdè intelligi posset; videlicet valere mandatum solâ voce traditum, quando

illa vocalis traditio sufficienter potest innoscere Parocho & testibus, coram quibus Matrimonium per Procuratorem contrahitur; g. per viros fide dignos, qui testentur de illi vocali traditione. Alioquin non satis videtur quomòdò possit obviari inconvenienciis, propter quæ evitanda Conc. Trid. requirit illi solemnitatè. Nisi fortè dixerimus, Petro v. g. cujus nomine Paulus Matrimonium contraxit, incumbere probationem non datæ commissionis, alioquin cogendum ad servandam fidem illius Matrimonii, neque prius admittendum ad aliud Matrimonium; quod an dici possit, relinquo judicio doctorum, & infra gendo de Matrimonio conditionato latius examinabimus. Certum est, omnimòde expectare, ut Parochus & testes non assistant Matrimonio, nisi prius ipsis moraliter certò constet de dato mandato. Sin autem Matrimonium contrahatur per literas, ut certò moraliter constet, esse litteras scriptas, & à Petro, qui per illas vult contrahere.

Si verò à me queritur; quâ formâ debeant esse scriptæ hujusmodi litteræ, ut exhibentur coram Parocho & testibus sufficienter ad valorem. Respondeo duplicem in venio apud Auctores formam. Prima est; si Petrus v. g. scribat Catharinæ, se in eam de præsentanti consentire, & ipsius consensum ex hoc nunc acceptare pro eo tēpore, quo eum legitime præbit: & Catharina acceptas litteras coram Parocho & testibus legens, coram ipsè instrumentum de præsentanti consentiat. In eo tamen, inquit Coninck sup. n. 80. necessarium erit, ut Petrus aliquem designet, coram quo Catharina debeat suum consensum exprimere, ut hic eum nomine Petri acceptet. Quia aliàs ex parte Catharinæ nullum esse superioris consensûs externum signum, quod Petrus ad se directum, per se vel alium acceptare posset; ut autem ostendi disp. 22. n. 39. ad omnem promissionem & consensum in contractum, essentialiter requiritur, ut certè prius dirigantur ad eum, qui ea acceptare debet. Hoc ipso tamen, quod Petrus scriberet Catharinæ, ut eas litteras coram Parocho & testibus legeret, ac consensum exprimeret, consideretur his committere, ut eum suo nomine acceptarent: & hanc vim, nec aliam, videatur habere illa verba, quibus scribit, se Catharinæ consensum acceptare. Ita Coninck.

Secunda forma erit: si Catharina prius scripsit Petro, se in eum de præsentanti consentire, & inde Petrus remissis iisdem litteris scribat, se ejus consensum acceptare, & similiter in eam de præsentanti consentire, & utraq; litteræ à Catharina coram Parocho & testibus legantur, & Petri consensum acceptetur. Ita præfatus Auctor.

Et indubiè si ita fiat, sufficit, ut Matrimonium valeat. Sed quæritio est, an omnia illa



illa sint necessaria. Sanchez lib. 1. disp. 7. n. 35. multos citat, qui docent sufficere, si ille, ad quem literæ mittuntur, si, inquam, consensum exprimat, vel mittenti literas, rescribendo ipsi, vel alii cuicumque.

135. Iste autem putat necessarium esse, repositionem illam & acceptationem fieri coram nuntio, à promittente missio, vel saltem per epistolam aut nuntium repositionis, eidem promittenti missum, ante quã intimationem promittenti factam, poterit liberè resiliire, cum nondum sit contractus perfectus, eò quod repositio non est intimata promittenti, nec eius nuntio; nec sufficere, si coram alio acceptet, & casu perveniat ad promittentis aures repositio illa, ut dicebam disp. præc. n. 28.

136. Probatur; quia in Matrimonio & sponsalibus, sicut traditio & promissio debet esse sensibilis ei, cui fit; ita etiam acceptatio & repositio, cum non sit major ratio de una, quam de alia; imò major ratio militat, ut acceptatio & repositio illa sit sensibilis, cum sit ultimum complementum: ergo nec Matrimonium nec sponsalia perficiuntur, donec acceptatio traditionis & repositio constet se tradenti, vel promittenti per nuntium, ad id destinatum, vel nuntio ab eodem missio, qui ad id videtur habere potestatem.

137. Et confirmatur; quia si, quando Matrimonium & sponsalia contrahuntur inter presentes, vir dicere: *Accipio*, vel, *accipiam te in mea*, & ipsa secretè responderet, ita ut nec verbo, nec signo perciperet vir ejus consensum, non esset Matrimonium, nec sponsalia: quia perinde est, ac si ille consensus esset internus, cum verba vel signa, requisita in sponsalibus, & Matrimonio, non ordinentur, ut aliis notus sit consensus, sed ipsi solum contrahentibus, qui se tradere ac acceptare debent; ergo.

Tandem: quia nemo acceptare potest quod sibi ignotum est; ergo si non manifestetur acceptatio & repositio priori promittenti, vel ejus nuntio; sed alii, qui non mittatur, ut illi intimet, non sufficere. Hucusque Sanchez.

138. Sed non placet Pontio, qui lib. 2. c. 16. n. 8. ait: Quando Matrimonium contrahitur missio nuntio vel epistolâ, satis est ad perficiendũ Matrimonium, si acceptet coram nuntio; & ubi Trid. observatur, ut acceptet coram Parocho & testibus; neque opus est, ut mittenti consensum, mittatur acceptatio, vel traditio alterius, ut qui nuntium destinavit, acceptet. Nam eo ipso, quod ille, cui missa est traditio, acceptavit de præsentibus, perfectus est contractus Matrimonii & sensibilis.

In quo, non rectè, meo iudicio, loquitur Th Sanchez disp. 7. n. 35. Adest enim unius consensus postulantis & acceptantis, cum ipsa postulatio sit intrinsicè acceptatio; adest etiam consensus alterius acceptantis & tradentis, cum ea acceptatio sit traditio. Ergo nihil

deest ad verum & perfectum Matrimonium. Sed idè in hac re non rectè Tho. Sanchez; quia non advertit, naturam acceptationis in hujusmodi contractu Matrimonii, habere intrinsicè rationem etiam traditionis, juxta naturam contractus. Quare si ea traditio explicetur coram nuntio, vel aliquo, perfectum Matrimonium est. Et ita hanc sententiam citatis multis docet Henriquez lib. 1. de Matr. c. 2. n. 6. & in Comment. lit. I. Hæc ille.

139. Et n. 10. ad 1. & 3. argumentum Sanchii responderet: aliud esse contractum esse perfectum; aliud verò eum, qui prius traditionem misit, cognoscere se obligatum re ipsa ex contractu perfecto. Contractus quidem perfectus jam est, eo ipso, quo ille acceptavit traditionem, & explicuit signo sensibili coram aliquo, cum sint jam omnia, ad eum contractum requisita: at verò ut in sua exultatione homo sentiat se obligatum, necessaria est intimatio, & cognitio acceptationis.

Ad secundum respondet: illud esse nullius momenti; quia, inquit, in ea specie perinde est, ac si consensus esset internus: neque enim verbis explicatus est, aut signo aliquo; at in nostro casu supponimus, jam consentum coram aliquo verbis sufficienter explicari. Quare quod perveniat ad notitiam tradentis, necessarium est, ut ille sciat, se jam obligatum, & ligatum esse, & ita se pro ligato gerat; non verò ut contractus ratio perficiatur. Cujus optimum signum est; quod jam semel acceptatã traditione alterius, quam per literas novit, non potest resiliire, quidquid dicat Tho. Sanchez. Nam traditio illa fuit etiam acceptatio, suspensa tamen, donec alter eam acceptaret: eã verò semel acceptatã, non habet locum penitentia; cum ea acceptatio sit etiam traditio, quam ille alius tradens se juxta contractus naturam in ipsa traditione acceptavit.

Alias etiam, cum præsentibus contrahunt, si vir prior dicat: *Trado me tibi*, & uxor respondeat: *Accipio*, posset vir dicere: *Ego non accepto tuam traditionem*, & resiliire. Quod planè sequitur, si factã priori traditione, & acceptatã ab alio adhuc esset necessaria intimatio traditionis & acceptatio illius. Hucusque Pontius.

140. Rogat aliquis, quid ego sentiam? Respondeo: ubi Concil. Trid. viger, nulla est difficultas, si verum est, quod ait Coninck: Parochum & testes habere commissionem acceptandi consensum alterius partis nomine ejus, cujus literæ leguntur. Ut etiam, ubi Concilium non obligat, ex hypothesi, quod licito modo contrahatur, id est, non clandestinè, sed coram aliquibus testibus, seu in facie Ecclesiæ; nam eodem modo dicere possumus, & ipsos habere commissionem acceptandi. Et cum semper, saltem coram uno, debeat manifestari consensus, quidni dicamus, & ipsum habere commissionem eum acceptandi?

Neque enim puto, scribentem velle differre perfectionem contractus, donec & usque per seipsum illum consensum acceptet; cum enim ex nunc resolutus sit eum acceptare; imò quantum in se est acceptet pro tempore, quo futurus est, nulla potest esse ratio, quare non velit perfectionem contractus, id est, indissolubilem obligationem Matrimonii, quamprimum ea haberi potest; jam autem potest haberi hoc ipso, quòd comparat exprimit suum consensum coram aliquo, quocumque demum homine; quia potuit velle dare tali homini commissionem acceptandi, non minus quam Parocho & testibus; ergo hoc ipso, quòd Petrus v. g. scribit, se Catharinæ consensum acceptare, censetur unicuique presentis, cui explicatur consensus Catharinæ, dare commissionem eum acceptandi. Unde Petrus non acceptat, quod sibi ignotum est, sed quod sibi notum est in alio, coram quo consensus exprimitur.

141. *Quantum temporis possit intercedere inter consensum unius partis & alterius.*

Ex hæcenus dictis de Matrimonio per Procuratorem, aut literas, satis manifestum est, longiorem moram posse intercedere inter consensum unius, & alterius partis, quantum scilicet temporis humano more intercedere solet, usque dum perveniat Procurator aut epistola, & commodè conveniri possit altera pars, ut adjungat suum consensum esse debita solemnitate, in quo sanè potest esse notabilis diversitas, juxta locorum distantiam & alia impedimenta, quæ facillè possunt occurrere.

Alioquin non censebitur (inquit Averfa quæst. 3. sect. 6. §. Itaque) quis regulariter permanere in suo consensu, nec etiam ab initio habuisse talem intentionem, ut alter post habitam notitiam possit per annos aut annum differre suum consensum, & ipse interim manere suspensus. Nisi tamen ipsemet oppositum expresserit, nempe se esse contentum expectare per annos aut annum; in quo nulla temporis mensura taxanda est, nisi juxta ejus voluntatem non retractatam. Hæc ille.

142. *Statuitur pro regula voluntas contrahentium.*

Regula ergo istius moræ intermediæ quoad quantitatem suam non melior, quam voluntas contrahentium, ut tanta sit, quanta communiter prudentes eam esse volunt, nisi de particulari aliquorum voluntate aliter hic & nunc constet; sufficit quippe & requiritur moralis conjunctio, id est, ut moraliter permanere censeatur consensus prioris expressus, quando posterioris consensus exprimitur; illa autem permanentia non habetur, nisi juxta intentionem, ac dispositionem illius, qui prior consensit, cum semper possit revocare suum consensum, etiam absolute expressum; ergo etiam potuit ab initio pro uno die, aut mense aut anno velle consentire, & non pro altero die, mense aut anno: ac

proinde die illo, mense, aut anno elapso, censetur non amplius ne quidem moraliter, habitualiter, aut virtualiter ille consensus permanere: veluti si expressè post illud tempus consensum, ante absolute præteritum, revocasset; ergo consensus alterius partis, qui exprimitur post illud tempus, nequit constituerè Matrimonium, cum hoc essentialiter sit mutuus consensus, qui tali casu nullatenus invenitur, ut nimis manifestum est.

Itaque si presentes sint, qui contrahunt siue absentes, non requiritur physica coexistentia amborum consensuum, siue ex natura contractus, siue ex natura Sacramenti, etiam post Conc. Trident. sed sufficit coexistentia moralis, quæ etiam sufficit in aliis contractibus, v. g. stipulatione, l. 1. ff. de Verb. oblig. ibi: *Qui præsens interrogatus, antequam sibi responderetur, discessit, tamen efficit stipulationem. Sin vero præsen interrogaverit, mox discessit, & reverso responsum est, obligat, intervallum enim medium non contrahit obligationem.* Et emptione, quæ inter absentes contrahi potest, l. 1. ff. de Contr. empt. §. fin. *Est autem emptio juri peremptoria, & ideo consensu peragitur, & sine absente contrahi potest, & per nuntium, & per literas.* Ergo ex natura contractus non requiritur physica coexistentia amborum consensuum, neque est ulla ratio, quare potius requiratur in contractu Matrimonii, quam in quolibet.

Sed nec extat aliqua specialis constitutio Ecclesiæ, quæ illam præsentiam in hoc contractu præ cæteris exigat; sicut patet de his supra. §. Sed absolute, extare legem, quæ eam postulet in quodam speciali contractu stipulationis, ff. de Verb. oblig. l. 137. in principio: *Continuus aliam stipulationis & promittentis esse debet, ut tamen aliquo momento nature intervenire possit, & minus responderi stipulanti oportet. Causa si post interrogationem aliud acceperit, non perdet, quamvis eadem die sponderit.*

Sed hic Auctor non videtur illum legem dispexisse; vidisset enim, intelligendum esse de omni contractu stipulationis, & non de aliquo speciali contractu stipulationis, vel fortè per aliquem specialem contractum stipulationis, intelligat contractum stipulationis, ut distinctum à cæteris contractibus, prout intelligit Sanchez lib. 2. disp. 32. ubi respondens ad illam legem, suæ sententiæ, de qua hic tractamus, objectam, ait: *Ubi qui in stipulatione illum textum, in qua verba cum illa solemnitate sunt de substantia secus in aliis contractibus.*

Sed quæro ego: quomodò ergo bene adducit Sanchez pro sua sententia l. 1. ff. eod. quæ etiam manifestè loquitur de contractu stipulationis, ut patet ex ejus verbis supra.



Iatis? Vel ergo lex 1. non probat nostram sententiam, vel aliter respondendum est ad leg. Continuus. Respondeo igitur: neque in illa lege requiritur physica coexistencia amborum consensus, sed secundum eam sufficit etiam moralis, quæ tunc intelligitur esse, quando post interrogationem, aliud non accipitur, ita ut accipiendo aliud, jam ex speciali dispositione istius legis, ambo consensus non amplius coexistant moraliter.

Audiamus Gloss. verb. Aliud agere ceperit: Id est, inceperit, acceperit: ut sit sensus; nihil esse actum, si post interrogationem aliud negotium inceperit, quamvis eadem die responderit. Ergo si aliud negotium non acceperit, si eadem respondeatur, medium tempus non nocet, nec videtur eminus factum, quod eodem die factum est, nullo extraneo negotio interjecto. Sic nihil obstat l. 1. §. 1. sup. eod. Hæc Gloss.

Quæ ibidem verbum: Continuus, explicat, dicens: Id est, contiguus, ut ostendat aliquam moram posse intercedere, dummodò ad alia negotia non divertatur, quod specialiter constitutum est in contractu stipulationis, & idè ad alios contractus non debet extendi. Itaque Matrimonium, in quantum præcisè contractus, non requirit physicam coexistenciam consentium.

Sed neque in quantum est Sacramentum; quia Deus, elevando Matrimonium ad dignitatem Sacramenti, reliquit contractum immutatum, ut non semel dictum fuit; ergo si valet in ratione contractus, etiam valebit in ratione Sacramenti.

Confirmatur exemplo aliorum Sacramentorum, in quibus non requiritur physica coexistencia materiæ & formæ, sed sufficit moralis; ut manifestè patet in Sacramento Ordinis Subdiaconatus; confertur enim Ordo, cum profertur forma; profertur autem forma, cum jam omnes calicem vacuum cum patena tetigerunt, qui contactus est materia aut saltem supponit materiam, scilicet porrectionem calicis, ut constat ex dictis proprio loco. Sic etiam in Sacramento poenitentia, quasi materia, Contritio & Confessio, etiam longo tempore possunt præcedere Absolutionem, quæ est forma.

Utimur autem in his (inquit Pontius sup. n. 2.) eâ regulâ, quam nobis eleganter tradidit Gabr. Vasquez 2. to. in 3. part. disp. 128. cap. 7. n. 55. Censetur forma & materia ad eandem actionem Sacramentalem pertinere, si interpositâ morâ temporis, nihilominus in prolatione formæ, aliquid enuntiantis more humano, eadem veritas manet, ac si simul cum materia concurreret. Ex hac enim regula colligemus, facillè plus temporis intercedere posse inter materiam & prolationem formæ unius Sacramenti potius, quàm alterius, cum non eodem modo signifi-

ficent omnes Sacramentorum formæ. Si ergo materia & forma Sacramentorum possunt etiam interjectâ morâ temporis majori vel minori applicari, multò magis dicendum est in Sacramento Matrimonii posse contingere, quando consensus exprimitur. Hæc ille.

Scio, consensus conjugum non esse materiam & formam Sacramenti, est potius duæ partiales formæ, secundum nostra principia; sed hoc parùm refert ad hanc veritatem, non est enim ratio, quare majorem debeant habere connexionem illæ formæ partiales in hoc Sacramento, quàm materia & forma in aliis Sacramentis. Nam sicut potest in aliis Sacramentis manere veritas formæ, tamen si aliqua mora temporis fuerit interposita; ita etiam manere potest veritas unius formæ partialis in Matrimonio, v. g. veritas horum verborum: Ego te accipio in meum, tamen si etiam longo tempore præcesserit hæc forma partialis: Ego te accipio in meam. Igitur neque ratio Sacramenti in Matrimonio postulat physicam coexistenciam amborum consensus.

Sed neque Conc. Trident. quia hoc solum exigit, tanquam necessarium ad valorem, ut consensus amborum exprimentur coram Parocho & testibus; hoc autem fieri potest, quando contrahitur per Procuratorem aut literas, jam antea demonstravimus. Et inter ipsos etiam principales fieri potest, ut vir hæc horâ dicat: Ego te accipio in meam conjugem, & mulier post unam horam: Ego te accipio in meum conjugem, coram eodem Parocho, & eidem testibus.

De cætero, quando contrahitur Matrimonium inter præsentés, regulariter ille, qui prior suum consensum exprimit, cum hac intentione id facit, ut alter etiam incontinenti, non recedendo ab illo congressu, adjungat suum mutuam consensum, saltem in foro externo; non enim censetur velle manere suspensus, nisi ipsemet oppositum expressè determinet, dicens, se esse contentum expectare, velleque interim manere in suo consensu per tantum tempus, vel indefinitè quantum alteri placuerit. Ubi etiam non est taxanda alia temporis mensura, quàm juxta ejus voluntatem, nisi eam postea retractet; hoc ipso enim finitur illud tempus, tamen si indefinitè positum esset, ut patet ex dictis. Atque hæc sufficiant de Matrimonio, quod contrahitur per Procuratorem, nuntium, seu literas.

Tantum addo, quod lego apud Sanchez libro secundo disp. 11. num. 31. Optimè faciunt contrahentes per Procuratorem, si postmodum ipsimet iterum Matrimonium ineant ad tollendos scrupulos. Quia quàmvis reliqua Sacramenta repeti nequeant eadem materiâ manente; hoc autem est in Ma-

148. Trident. non exigit physicam coexistenciam consentium.

149. Quid regu- lariter intendat illa qui prior consentit!

150. An debeat iterari Matrimonium per Procuratorem. Sanchez.



rimonio speciale, cum enim sit contractus, ejusque naturam & condiciones retineat, potest ea parte qua contractus est, ceterorum more saepius iterari. Et citatis Auctoribus aliquibus, qui hoc docent, addit: Iteratur autem, ne forte prior consensus revocatus sit.

Quid igitur si certo constat, non fuisse revocatum? Resp. nullatenus esse iterandum; immo more aliorum contractuum, qui perficiuntur traditione, non posse iterari; sicuti donatio, secuta traditione rei donatae, non potest iterari; non enim potest iterari mihi dari, quod jam meum est. Ergo ex hypothesi, quod Matrimonium per Procuratores certo fuerit validum in ratione contractus, non potest Matrimonium in ratione contractus iterari; quia vir non potest corpus suum

dare mulieri, quod jam est mulieris per priorem contractum; adeoque si prius Matrimonium verè non fuerit Sacramentum, quantumcumque postea iteretur, seu potius videatur iterari contractus, nunquam perficietur vera ratio Sacramenti; quia vera ratio Sacramenti, requirit verum contractum, non in facto esse, sed in fieri, cum Sacramentum Matrimonii sit actio transiens. Vide dicta Sect. 4. Conclus. 6. Itaque illa reiteratio Matrimonii nihil facit ad majorem securitatem, aut ad tollendos scrupulos, nisi dubium aliquod foret de validitate Matrimonii prioris in ratione contractus.

Ita ego sentio, salvo meliori, & transito ad Matrimonium quod contrahitur ex errore vel metu, pro quo instituitur

## SECTIO VII.

### DE MATRIMONIO INITO EX ERRORE VEL METU.

I.  
Ad Matrimonium requiritur perfecta deliberatio.

**N**emo dubitat, quin ad Matrimonium requiratur deliberatio, quatenus hæc dicit perfectam rationis advertentiam atque iudicium; id est, ea libertas seu deliberatio, quæ necessaria est ad peccatum mortale; si enim hæc requiritur, ut diffusius probavimus Sect. 1. Conclus. 6. ad valorem sponsalium, quæ tamen multis de causis dissolvi possunt, & saepius dissolvuntur, quando amplius ad Matrimonium, contractum omnino indissolubilem; quando enim obligatio major est, rantiò videtur requiri major deliberatio seu libertas.

Cui repugnet error & metus.

Porro huic majori deliberationi seu libertati repugnat error & metus, idèdque de utroque simul hæc Sectio tractabimus. Et primò quidem de errore, qui ex natura sua destruit consensum, juxta illud, quod habetur leg. 15. ff. de Jurisdic. *Quidem enim tam contrarium consensui est, quam error?* Sit itaque

#### CONCLUSIO I.

Error vel dolus circa substantialia jure naturæ invalidat Matrimonium.

2.  
In quo differt ignorantia ab errore.

**P**renotandum Primò: ignorantiam differre ab errore, quòd illa ex sua ratione nullam præviã cognitionem desideret, sed solã scientiæ negatione contenta sit: hic autem iudicium positivum intellectus perversum postulet; & idèd dicitur ignorantia præviã dispositionis: ubi autem non adest error, ignorantia puræ negationis.

Sed & hæc ipsa mater cunctorum errorum est, ut legitur in Concil. Tolitano. can. 24. qui sic incipit: *Ignorantia mater cunctorum errorum, maxime in Sacramento Divinanda est.* Quia enim ab intellectu ignoratur veritas, hinc perversè iudicat, id est, non pro alio putat, quod propriè est errare, docet. D. Aug. Enchir. c. 17. (& refer. dist. 38. c. 11.) ibi: *Quamvis errare, quam possumus curã, cavendum sit, non solum in majoribus, verum etiam in minoribus rebus, nisi rerum ignorantia possit errari; necesse est consequens, ut continuo erret, qui quicquid nescit; sed quisquis se existimat scire, non nescit.* Pro vero quippe approbat falsum; quod erroris proprium Item c. 21. (& refer. ca. q. 2. cap. 6.) *In quibus rebus nihil interest de capessendum regnum Dei &c. in his errore aliquid aliud pro alio putare, non arbitrandum est peccatum.*

Ergo secundum D. Aug. error non dicitur nudam absentiam seu negationem scientiæ, sed insuper positivum aliquod iudicium intellectus, quo pro vero approbat falsum, aut aliud pro alio putat. Ut si me profertur hinc, quantum hinc distet Roma, non dico errare, utpote qui nullum distantie conceptum formavi; si verò existimarem centum leucarum distare, cum distet ducentas vel trecentas, errarem utique, falsum iudicium habens; hoc autem iudicium reddit actum, qui et innotitur, involuntarium, v. g. vorum peregrinationis ad limina Apostolorum; quia voluntas non vult peregrinationem ducentarum aut trecentarum leucarum, sed tantum centum leucarum; quia tantum centum leucæ per intellectum proponuntur, quamvis falsò.